Edit. I pag. 318

MOGVNTIACARVM RERVM *LIBER III,*

qui est

DE S. BONIFACIO MARTYRE, ac Moguntinorum Archiepiscopo primo.

HVius Maguntiacarum rerum scriptionis mihi, secundum DEVM, prora & puppis S. BONIFACIVS. Huic totus hic dicatur liber tertius. & complectitur is tria: I, pauculas notationes Sancti vitam antegredientes. II, vitam ipsam, duobus a bono, qui infra nominabitur, auctore libris concinnatam. III, plures notationes vitam eandem subsequentes.

In sequentem S. BONIFACII vitam notationes tres.

PRIMA

De variis vitæ S. BONIFACII scriptoribus.

I

Scriptorum vitæ D. Bonifacii, e veteribus,

ERga S. Bonifacium, a quo beneficiis tot & tantis affecta, quomodo benevolens & grata satis esse potest Moguntia? Præcipuus igitur & honoratissimus in Maguntiacensium rerum libris ei merito locus iam tribuendus; cuius aut vitam aut mortem sanctissimam plures quidem attigere, quorum opportunioribus
319 postea locis edam nomina: quinque tamen e veteribus, qui res ab eo gestas vberius pleniusque litteris persecuti sint, inuenio.

potissimum quinque.

II Primus est *S. Wilibaldus*, primus Eistatensis Episcopus, sancti huius discipulus, in Dominicæque vineæ cultura socius & adiutor, S. Richardi Anglorum Regis filius, S. Wunibaldi sanctæque Walpurgis frater. Atque huius commentarium diu multumque, variis in locis, & per varios, quæsiui. A bono enim bonum, & a Sancto Sanctum celebrari, non parua quoad Dei laudem, hominumque vtilitatem res est. Deinde videbam in *Wicelii* Hagiologio scriptionem eam Fuldæ adhuc in bibliotheca extitisse anno MDXLI, & eam olim ab ipso Sancto hic Moguntiæ conscriptam, ab aliisque Sanctis censam & probatam. Sic enim scriptum fuit: *Ego Wilibaldus Episcopus &c. vitam & passionem Bonifacii conscripsi primum in ceratis tabulis ad probationem Lulli & Megengaudi. Post eorum examen in pergamenis rescripsi. atque hoc in loco, qui dicitur S. Victoris, extra muros Moguntiæ, vbi Lullus & Rabanus vacabant orationibus.* Vnde & *Centuriatores* cent. VIII c. X colum. 830 *Scripsit*, aiunt, *Wilibaldus non ineleganti stilo vitam Bonifacii, librum vnum, quem ante editionem Lullus & Megengaudus inspexerunt, & approbarunt.* Accedebat, quod Bonifacianæ vitæ auctor, qui apud *Surium* tomo III est, & de quo dicam postea, Sancti huius sese tantummodo dilatatorem, explicatorem, & veluti exegeten profiteretur, idque ob eam orationis ac stili antiquitatem & elegantiam, quæ tenebras imperitioribus nonnullis offunderet. Quod si vero huius explicator & interpres tanti est, vt merito sane est; quanti ipsemet, qui explicaretur, S. Wilibaldus faciendus? Cupide igitur eum perquisii: triaque tandem exemplaria manuscripta inuenta sunt. Primum in Rebdorfensi prope Eystadium monasterio. alterum apud Academiæ Ingolstadianæ Cancellarium Magnificum, *D. Albertum Hungerum.* Tertium in magno S. Bartholomæi Francofurtensis bibliothecæ volumine,

1 Wilibaldus,

cuius tria exemplaria manuscr. auctor consecutus,

quod *Moguntinam Matriculam* appellant. Et priora quidem duo vtiliter edidit in Antiquitatum tomo V sacrorum in eadem Academia illa Professor Cl. v. *D. Henricus Canisius :* tertium vero, quia superioribus duobus perfectius & emendatius animaduerti, edere hoc loco statueram, nisi lectori censuissem molestum, duas de vno eodemque Sancto simul narrationes legere. Ideoque, quia id ab Francofurtensis illius ecclesiæ Decano, Reuerend. D. Andrea Webero, accepi, transferre quoque in illud opus decreui, quod sancti eiusdem Bonifacii epistolas continet, constitui. Edit. I pag. 329

Enimuero, vtrum *VVilibaldus*, qui vitam Bonifacii scripsit, is sit, qui cathedram rexit Eichstadensem, iam olim dubitauit *Brovverus*, annotat. ad vitam Gregorii, in Sideribus illustribus Germaniæ; cuius rationes in compendio proponit, nec improbat *Sagittarius* antiquitat. gentil. & christian. Thuring. lib. III cap. XXVIII §I p. 346. *Antonius* vero *Pagi* critic. Baron. ad an. DCCLV n. XIX p. m. 300 explicate magis contendit, *VVilibaldum* hunc non esse Eichstadensem illum, ac, sigillatim *Serarium* notando, ita differit: *Is* Wilibaldus, *qui vitam Bonifacii scripsit, non est idem, qui* Wilibaldus Eistetensis, *vt* Serarius *hic arbitratur*, Mabillonius *itidem in obseruat. praeuiis ad vitam istam, &* Cointius *an. DCCXVI n. VII, ac an. DCCLXXXVII n. XXXII & seq.* Wilibaldus *enim vitæ Bonifaciana scriptor his verbis prologum suum orditur:* Dominis sanctis, & vere in Christo carissimis Lullo & Megingozo Coepiscopis, Willibaldus licet indignus in Domino Presbyter. *Paullo post dicit, se eius miracula scribere*, sicut discipulis eius, *inquit*, secum diu commorantibus vel vobis referentibus comperi. *Quare* Wilibaldus *iste nec discipulus S. Bonifacii fuit, neque Episcopus, saltem quando vitam illam exarauit: cum tamen* Wilibaldus *Eistettensis Episcopus cognatus S. Bonifacii fuerit, ab eodem Episcopus ordinatus, & aliquo tempore cum eo manserit, vt* anonymus, *qui vitam eius edidit, in litteras misit. Adhæc nec* auctor antiquus vitæ S. Wilibaldi, *nec* monialis Heidenheimensis, *quæ aliam eius vitam composuit, praetermisisset obseruare, eum fuisse scriptorem vitæ S. Bonifacii: praesertim cum tam pauca de rebus eius gestis calluerint. Immo, opinionem nostræ contrariam ipsum, quo ea innititur, fundamentum euertit.* Georgius *enim* Wicelius *in Hagiologio suo refert, in bibliotheca Fuldensi an. MDXLI vitam S. Bonifacii, & in fine eius scriptum:* Ego Wilibaldus Episcopus &c. vitam & passionem Bonifacii conscripsi in ceratis tabulis ad probationem Lulli &c. *Cum enim haec clausula post Lulli mortem exarata sit, vt ex eius lectione liquet, constetque inter omnes*, Wilibaldum *Eistettensem ante Lullum vita functum, manifestum est*, Wilibaldum, *qui ea verba scripsit, eundem non esse cum* Wilibaldo *Eistettensi, & priorem, qui Presbyter tantum erat, quando eam vitam elucubrauit, nonnisi post S. Bonifacii mortem manum eidem admouisse, ac aliquot post annis Episcopum renuntiatum, illam clausulam eidem adiecisse.*

Ceterum hanc *VVilibaldi* de vita Bonifacii narrationem auctor *epistolis Bonifacianis* anno MDCVI editis subiecit. *Mabillonius* vero *Actis Benedict.* sæc. III part. II n. I p. 1 & seq. quoque inseruit, notisque illustrauit.

2 S. Ludgerus.

III Alter est *S. Ludgerus*, primus Mimegauordensis seu Monasteriensis Episcopus, & beati illius Gregorii discipulus, qui S. Bonifacii discipulus, itinerum, laborumque assecla & consors fuerat, prout in huius vita refertur ab ipso S. Ludgero. in quam plurima quidem de S. Bonifacio, quæ post citabuntur, insperse: sed sanctis eius præterea initiis librum attribuit singularem, de quo, qui eiusdem S. Ludgeri acta exposuit apud *Surium* tomo II ita loquitur c. XXXI; *Erat S. Ludgerus in scripturis sacris non mediocriter eruditus, quod in plerisque opusculis, quæ ipse fecit, liquido apparet. Nam ea, quæ in passione S. martyris Bonifacii de eo prætermissa nouerat, primordia scilicet vitæ eius, aduentum quoque atque ordinationem, pulchro sermone conscripsit.* Cuius sane opusculi magno vt desiderio tenear, facit non hæc tantum boni prudentisque scriptoris testificatio, sed illa etiam S. Ludgeri & sermonis & sapientiæ, sanctimoniæque gustatiuncula, quam e Fuldensi vitæ dicti iam S. Gregorii fragmento, & eiusdem de S. Swiberto, apud Surium, epistola capere licuit.

3 Ruthardus.

IV Tertius est *Ruthardus*, Hirsaugiensis monachus, de quo in Hirsaug. chron. anno DCCCLXIII ita *Trithemius: Vnus ex primis missis* (Hirsaugiam) *a Fulda, Rabani & Strabi monachorum quondam auditor, atque discipulus, vir vndecumque doctissimus, metro excellens & prosa, inter scriptores huius tempestatis celeberrimi nominis fuit. Qui, vt scribit Meginfridus monachus Fuldensis in Chronica, vir in omni scientia & sanctitate conspicuus. Tantæ fuit eruditionis & probitatis, vt cum Ludouicus Imperator eum, post mortem Haymonis Episcopi, vellet, in locum eius, Haluerstatensis ecclesiæ ordinare Pontificem, consentire noluit; dicens notabile verbum;* Da Episcopatum alteri, qui sit idoneus: 321

Edit. I pag. heus: ego quietem vitæ regularis, & ſtudium ſcripturarum omnibus diuitiis & honoribus mundi incomparabiliter duxi præferendum. *Scripſit autem, inter cetera ingenii ſui opuſcula*, paſſionem S. BonifacI Archiepiſcopi, *heroico carmine, pulcherrime in duobus libris.* Ita ille.

4 Ratbod⁹. V Quartus eſt *Ratbodus*, eccleſiæ Traiectenſis Epiſcopus quartuſdecimus, *vir*, vt idem refert in illuſtrium virorum catalogo *Trithemius, in diuinis ſcripturis valde eruditus, & ſæcularium litterarum non ignarus, ingenio ſubtilis, eloquio clarus, vita & conuerſatione ſanctiſſimus, multis & viuus & defunctus miraculis coruſcauit. Scripſit autem in laudibus ſanctorum nonnulla præclara opuſcula: vt*, laudes S. Martini Epiſcopi Turonenſis, *lib.* 1. Laudes S. BonifacI Moguntini Archiepiſcopi & martyris, *lib.* 1.

5 Wilibaldi *exegetes.* VI Iam vero quintus eſt S. Wilibaldi exegetes, auctor illius vitæ, quæ apud *Surium* eſt tomo III; de quo paulo poſt plura. E ſuo etiam codice quodam MS. duas exſcribendi vitas poteſtatem fecit Colonienſis Carthuſiæ R. P. Prior: *prater alios, e veteribus.* quarum prior incipit, *Incertam;* poſterior, *Poſtquam gens Anglorum**. Tertiam quoque in parochia Höfen ſe memorat reperiſſe mei MS. auctor, e qua delibat non pauca. Sed ſitne hæc a ſuperioribus duabus, vel hæ a Ludgeriana diuerſæ, non habeo coniicere.

* De hac poſterioris *Anonymi* lucubratione conf. *Mabillonius* in prolegomenis ad vitam Wilibaldi & Othloni Bonifacianam l. d. § IV p. 2.

e recentioribus, Letznerus. VII Vidi autem eam, quam ſuperiori biennio, Germanice Lutheranus edidit Prædicans, *Ioannes Letznerus**; qui etſi Luthericis interdum phraſibus nonnullis vtitur, ineptumque Melanchthonis iudicium appendit, vir tamen minime fucatus, & a Catholica veritate haud valde alienus videtur; ad quam vt ſuis ſanctis precibus, eum, alioſque complures adiutet ipſe S. Bonifacius, voueo.

* Erfurti typis Martini Wittelii anno MDCIII, hoc quidem inſignitam titulo: *Hiſtoria Bonifacii, der Teutſchen Apoſtel genant, erſter theil, vvelcher in Thuringen, Heſſen, vnd andern derſelben benachbarten landen die teufliſchen vnd heydniſchen götzen vmgevvorffen, zerbrochen vnd abgeſchaffet, vnd an deren ſtatt den chriſtlichen glauben erſtlich angericht, aus allerhand alten vnd neuen, geſchrieben-vnd gedruckten chronicken beſchrieben, vnd in ordentliche vnd vnterſchiedliche capitel gebracht.* 4. Conf. *Sagittarius* l. d. § VIII p. 350 & ſeq.

Fuit autem hic *Leznerus* patria Hardeſſianus (*von Hardegſen*, quod Principatus Göttingenſis oppidum eſt) ac ab initio LeuthorſtI (*Ludhorſt*) haud procul Eimbecka, dein Iberæ, diœceſis Rodenkirchenſis in Principatu Grubenhagenſi villa, Parochum egit. Tandem ſenio confectus rude, vna cum certa ad vitæ dies penſione, donatus. Vnde in villam *Strothagen*, parœciæ Iberenſi in eccleſiaſticis contributam, conceſſit, ac paupere in tugurio, curta contentus ſupellectile, in tenuique e ſaxo arenario ſedili (quod etiamnum aduenis oſtenditur) ſedens in ſcriptis hiſtoricis concinnandis ſedulo perrexit; donec vitæ annorumque ſatur ſpiritum Deo redderet. In æde, quæ ibidem eſt, ſacra ſepulturæ nactus locum eſt, ſed ſine titulo. *Calvör* in append. Saxoniæ inferior. gentil. & chriſtianæ, de præcipuis hiſtoricis p. 570 & ſeq. Ceterum vir fuit hiſtoriarum maxime ſtudioſus, ſcriptiſque plu-ribus (quorum *Ioachimus Meierus* in præfat. libri german. *de origine gentis illuſtris Pleſſicæ* recenſum dedit) haud incelebris. *Meibomius* iunior introduct. ad hiſtor. Saxon. pag. 109; *Ioan. Leznerus, diligentiſſimus vir, multis & magnis commentariis de hiſtoria Ducatus Brunſuicenſis non male meritus, & plura, ſi vixiſſet, elaboraturus, memorari etiam hic a me omnino debet: magis tamen eum laudare poſſem, ſi diligentiæ eius par iudicium reſpondiſſet, & iis, quæ ſollicite vndique conquiſiuerat, recte vti, & falſa a veris, ſpuria a genuinis ſecernere ſciuiſſet. Interim qui iudicio valet, eius opera cum fructu legere & in rem ſuam conuertere poteſt.*

ALTERA NOTATIO

De Suriano auctore, VVilibaldino exegete.

322 QVinque videntur de Auctore, quem de S. BonifacI vita edidit Surius, notanda. *Primum:* eum profiteri eius vitæ, quam ediderat olim S. Wilibaldus, ſe amplificatorem, exegeten, ac interpretem. Nam ad Fuldenſes in præfatione, *Petiſtis*, ait, *vt S. Patris noſtri BonifacI vitam, præcipuo quidem elegantique, vtpote S. Wilibaldi, ſtilo, antiquitus editam, ſed in locis quibuſdam ita infirmo intellectui obſcuram, vt difficile pateat, quo ratio tendat, hanc ego ſententia apertiori reſerarem.* Et poſtea: *Exhortatione eiuſmodi ſæpe incitatus,* *Notandum 1 quod ſeſe dicat* Wilibaldi *exegeten.*

tandem tentaui veſtros implere precatus. Subdit & alia, quæ amplificationis modum tangunt, eique auctoritatem conciliant. Edit. I pag.

2 quod vocandus ſit Othlonus.

II *Alterum;* Auctoris huius nomen fuiſſe hactenus incognitum; quia, vt ait Surius, *nomen ipſe ſuum premere maluit;* idque vel quia vehementius interdum in nonnullos æui ſui mores, ac homines inuehitur, vt in ipſa ſtatim præfatione, & alibi poſtea: vel quia, vt exiſtimat *D. Henr. Caniſius*, gloriam honoremque omnem fugitabat: vel denique, quia demiſſe adeo de ſeipſo ſentiebat, vt res alioqui magnas & vtiles, ſui appoſitu nominis, imminui vileſque fieri arbitraretur, prout argumento ſunt verſus, quos ſuo ipſe proœmio ſuppegit. Hoc ipſum tamen, vna cum vita tota, in Rebdorffenſi ante nominato MS. codice inuenit laudatus antea *D. Henr. Caniſius;* ita vt qui aduſque fuit anonymus, ſuo deinceps nomine vocandus ſit *Othlonus* †.

† Non *Othlonum* condidiſſe hanc de Bonifacio exegeſin, ſed alium quendam, vult *Brovverus.* vid. not. ad vitam Pirminii in Siderib. illuſtrib. German. p. 26. *Sed ratione,* inquit *Caueus,* parte II hiſtor. litterar. eccleſ. p. m. 218, *plane nulla.*

3 quod non exploratum ſit, vbi vixerit.

III *Tertium.* Ab eodem *D. Caniſio* editur *Fuldenſis Presbyter & Monachus;* ſed neque *Fuldenſem* ſcribebat Rebdorffenſis liber, neque, ad Fuldenſes cum ſcribat, admittere videntur hæ in præfatione phraſes; *apud vos, ex vobis, veſtrum monaſterium*, & ſimiles. Fuldæ tamen aliquando fuiſſe, videtur ex eadem colligi præfatione; ſed vbi alias vitam degerit, an Moguntiæ, an alibi, non liquet. De Ratiſpona ſuſpiciunculam iniiciebat illud, quod de S. Eimerammi monaſterio interſerit apud Surium; ſed hoc ipſum in Rebdorffienſi ſeu Caniſiano deeſſe video codice. Moguntiam vero me aut Fridslariam ducebat, aut Fuldam pæne reuocabat, quod in Prologi titulo appelletur ille, *Monachus S. cœnobii Bonifacii.* Nihil tamen affirmo*. pag. 484.

* Conf. huc *Mabillonius* in obſeruat. præuiis ad vitam Bonifac. § III p. 2.

4 quod claruerit ſæc. XI.

IV *Quartum.* Quo autem vixerit Othlonus iſte ſæculo, poteſt aliqua ex eo capi coniectura, quod lib. I ſe poſt Caroli Magni poſteros vixiſſe fatetur, & in præfatione, poſt *Egbertum*, qui ab aliis *Ecbenus*, vel *Eppo* dicitur, Abbatem Fuldenſem, *Leonemque* Pontificem. Fuit autem Egbertus Fuldæ Abbas XXV, anno Domini MLI, cum Leo IX, Pontifex integerrimus, ad Apoſtolicam ſedem euectus fuerit anno MXLIX. Plurimæ poſtea tempeſtates varia exagitarunt monaſteria, præſertim Fuldenſe, temporibus Wideradi, qui anno MLXI Abbas; & Gotfridi, qui anno MXCVI. Et ad has, in ſuis de monaſteriorum oppreſſione querelis, videtur alludere Othlonus, vt vel iis, vel proxime ſecutis annis vitam iſtam ſcripſerit. Vnde, quamuis recte a *R. Baronio* tomo IX *recentior auctor* appelletur, quando nimirum cum eo, quem ampliat & explanat, S. Wilibaldo confertur; ante annos tamen circiter quingentos floruit; vir eo æuo doctus & pius, prout vita hæc ſubindicat, & Fuldenſium tam crebræ, tamque ſeriæ ad eum petitiones, quibus eius inuiti ac renitentis hanc ad ſcriptionem inflexere animum. an. 739. 323

5 quod aliorum rogatu hanc Bonifacii ſcripſerit vitam.

V *Quintum* & poſtremum, fuit autem hæc ab eo petita ſcriptio, quia S. Wilibaldus nimis quibuſdam elegans, eruditus, & obſcurus videbatur, vti ſupra iam tetigi. E contrario autem, noſtra iſta ætate, nimium quibuſdam ſimplex, rudis & inconcinnus videtur ipſe Othlonus. Hæc enim de ipſo apud *Surium (t. III p. 467)* præſcriptio: *Vſus eſt pleriſque locis ſtilo ſimpliciori, quam ferant huius ætatis homines. Itaque Laur. Surius, in gratiam lectoris, ſuo ſtilo pleraque omnia deſcripſit.* Sed ecce, quam verum vulgare illud, *Quot capita, tot ſenſus.* Dum ſæculi noſtri ſciolis & politulis, ſancto & laudabili zelo, accommodare omnia, etiam aliena, conatur Surius, iis haud placet, qui ipſiſſima veterum verba, quamuis inculta, inornata, & ſimilia multo audiunt libentius. In iis enim multa ſæpe ac recondita latet antiquitatis cognitio, & ineſt ſemper ad fidem auctoritatis & grauitatis plus. *Decorus*, ait *Tullius (de ſenect. c. IX) eſt ſermo ſenis, quietus & remiſſus: facitque perſæpe ſibi audientiam diſerti ſenis compta oratio & mitis:* immo vero apud eos, quibus veritatis & rerum momenta, quam verborum phaleræ ac lenocinia curæ magis, *indiſerti etiam ſenis incompta, cana, & ſimplex oratio.* Atque iſta mihi cauſſa, vt auctorem

Edit. I p. 324

rem istum integrum, nihilque immutatum, aut laruatum tanto hactenus opere desiderarim, perquisierim, nuncque ab D. H. Canisio V. Cl. e puluere ac situ erutum, luceque publica donatum, gratissimo animo accipiendum, & ex eo, tanquam e veteri marmore, insignique cedro, librum hunc tertium construendum & exornandum iudicem.

Præter *Canisium*, quem auctor hic loci secutus est, vitam hanc sine immutatione edidere *Brouverus* in Sideribus illustribus Germaniæ, & *Mabillonius*, vna cum adnotatiunculis, sæc. Benedict. III parte II pag. 28 & seq.

TERTIA NOTATIO.

De iis, quæ ad Othlonianam hanc S. Bonifacii vitam nunc adiuncta.

NIhil quidem in Othloni de S. Bonifacio scriptione, quæ libris duobus constat, immutandum, nihil ex ea subducendum existimaui, sed adiungenda tantum paucula, quorum duo genera sunt. *Vnum* est, eius per capita diuisio, cum breuicula singulorum capitum præscriptione, quæ quid in illis narretur, lectorem admoneat. Citat quidem non raro eiusdem commentarii capita *Baronius* Reuerend. tomo IX: sed an sibi ea ipsemet fecerit, an in libro quopiam viderit, nescio; in Suriana certe, aut Canisiana editione non sunt. *Alterum*, sunt notationes, quæ, vt earum monstrabit lectio, varia vel addunt, vel exponunt & illustrant.

1 *est, eius per capita diuisio,*

2 *alterum sunt, adnotationes.*

II Erat vero in Rebdorffensi citato codice ante Othloni præfationem ab aliis ita præscriptum; *Incipit prologus venerabilis Presbyteri Othloni & MS. cœnobii Bonifacii in vitam ipsius.* Et pro *M* ponit *D. Canisius* Monachum: nec improbo; sed quid si legeretur *e MS. e manu*, inquam, *scripto cœnobii Bonifacii?* aut etiam sic, *& Monachi cœnobii S. Bonifacii?* Cum vero Moguntiæ monasterium aliquod Sanctus habuerit, alibi plura ædificarit, vt Amaneburgi, Friedslariæ, Fuldæ, quodnam intelligitur? An per excellentiam, Fuldense? An potius Friedslariense? *Lupus* enim *Seruatus* in Wigbertina cap. V * diserte illud *S. Bonifacii cœnobium* vocat, dicens: *Wigbertum sacerdotem secundi ordinis, Bonifacius cœnobio suo, cui nomen est gentili Germanorum lingua Friteslar, Magistrum præfecit.* Sed proloquatur iam tandem *Othlonus.*

de litteris MS. in codice Rebdorfensi, obseruatio.

* *p. 197. edit. Lupi.*

325

OTHLONI PROLOGVS.

PEtitionibus vestris, *fratres Fuldenses*, prout scientiæ meæ permisit paruitas, parere studui: petistis enim, vt S. Patris nostri Bonifacii vitam, præcipuo quidem elegantique, vtpote S. Willibaldi stilo antiquitus editam, sed in locis quibusdam ita infirmo intellectui obscuram, vt difficile pateat, quo ratio tendat, hanc ego sententia apertiori referarem. Quam nimirum petitionem inprimis miratus, cur tot patribus peritis, tam inter vos, quam circumquaque commorantibus, hucusque relictis, mihi imperito, & liberalis scientiæ admodum ignaro, tam arduum opus iniungere, vel excogitaueritis, pro nihilo duxi. Deinde cum quidam ex vobis mihi referret, iam antea pro eodem opere laboratum fuisse apud sanctum Leonem Papam*, ita vt nonnullos libros, vnde plenius ad hoc instrueretur Abbas Egbertus, scriptoremque ei simul Romam transmisisset, ipsosque libros eo defuncto, & opere petito minime expleto ibi remansisse, tunc misertus talium appositi aliquando animum, volens scilicet implere petita, si vlla astipularetur scientia. Cumque diu velle mihi adiaceret, perficere autem in me non inuenirem, dicebam vobis, quod vellem, quodque nequirem; sed vos, vt scitis, eadem crebro repetistis, dicentes, si mihi tantummodo solida inesset voluntas, a Domino cetera præstari; exhortatione eiusmodi sæpe incitatus, tandem tentaui vestros implere precatus, confidens in eo quam maxime, qui dixit, *Aperi os tuum, & ego adimplebo illud:* quique sicut in paucis sæpe victoriam præstans, sic etiam in imperitis peritiam tribuens, gratiæ suæ potentiam ostendit.

Occasio operis.

Ps. 80, 11.

* *Intellige Leonem Papam IX, a quo Egbertus, qui & Eppo, ab anno MXLVIII ad LVIII Abbas Fuldensis, vetera monumenta, quibus patroni sui acta illustrarat, postulauit. Hinc Othloni ætatem colligere licet.* Ita *Mabillo* l. d. p. 28.

Hæc autem ideo præmiſi, ne quis me forſitan tantum opus vltro arripuiſſe per arrogantiam arbitratus diceret, magnæ præſumptionis eſſe cauſam, illa quæ a quolibet ſancto viro vtcunque fuerunt prolata, ab vllo deinceps quaſi emendatore in aliud transferri; quaſi non ipſa ſanctorum Prophetarum, ſanctiſſimaque euangelii dicta multis obſcuritatibus inuoluta a nonnullis ſcriptoribus in aliam linguam, vel in apertiorem ſententiam fuerint translata. Edit. I pag.

His itaque prælibatis contra detractores vniuerſos, quibus nihil eſt dulcius, quam alios lacerare, aliis laqueos ponere in via, qua ipſi nolunt incedere, iam deinde lectori pandere cupio, quia id mihi maxime fuit ſtudii in opere iſto, vt ſententiam eandem verbis apertioribus proferrem, exceptis his, quæ ob ſui difficultatem & obſcuritatem inueſtigare penitus nequiui. 326

Stilus,

II In tantum autem faciliora ſequebar, vt ſicuti probari poteſt, alicubi eadem verba ponerem. Quid enim nobis infimis, qui ſpectaculum facti ſumus mundo, nodoſa & perplexa oratio? Habeant amatores ſapientiæ ſæcularis Tullium, nos imperiti & ignobiles, deſpecti & contemptibiles, ſequamur Chriſtum, qui non philoſophos, ſed piſcatores elegit diſcipulos.

vtilitas ex inſertis epiſtolis.

III Inter hæc illud notum facio dilectioni veſtræ, quia cum in ipſo libro, quem me explanare petiſtis, inſpicerem plurima, tam miraculorum, quam epiſtolarum inſignia non haberi, quæ in aliis libris inueni, molitus ſum ex ipſis colligere, & in locis, quæ opportuna videbantur, inſerere. Fortaſſis enim ille venerandus vir, qui vitam S. Bonifacii in primis ſcripſit †, virtutes eius multas, epiſtolaſque neſciens, prætermiſit. Sed mihi conſideranti litteras omnes, quas de eo habetis, in nullis maior tanti Præſulis autoritas, quam in epiſtolis ab ipſo vel ad ipſum directis videtur eſſe. Ibi namque apertiſſime inſpicitur, quanta veneratione primitus fuerit ſuſceptus a Pontifice Romano, qualiterque eum ordinatum miſerit ad prædicandum cunctis Germaniæ populis, quanto etiam labore eandem Germaniam ad Chriſti fidem conuertit, & quod non ſolum a paganis & hæreticis, ſed etiam a pſeudochriſtianis & prauis ſacerdotibus eam velut a luporum morſibus eripuerit *; quantam gratiam a Francorum Principibus, Karlomanno ſcilicet & Pipino, obtinuerit, qui poſtquam eum eccleſiæ Mogonciacenſi Præſulem decreuerat, eandem, quæ prius eccleſiæ alteri ſubdita erat, pro illius amore ſimul & honore, metropolim totius Germaniæ, Apoſtolico Pontifice conſentiente, effecerit, quot ſedes Epiſcopales ſtatuerit, quæ priuilegia quibuſdam eccleſiis obtinuerit. Poſtremo & illud ibi ſpeculatur, quod etiam vobis modo peropus eſt, quomodo corporis ſui locum, cœnobium videlicet veſtrum, poſſeſſionibus & decimis ſpecialibus ſublimauerit.

† *S. VVilibaldum intelligit.* (S.)

* *Nicolaus Serarius,* ita *Mabillo* l. d. p. 29, *hæc refert † ad tempora VVideradi, Abbatis Fuldenſis, quando Hecelonis Hildesheimenſis Epiſcopi factione monaſterium Fuldenſe rebus fere omnibus ſpoliatum eſt, teſte Lamberto Schafnaburgenſe ad an. MLXIII, at querela hæc de ſolis decimis rectius quadrat pſeudoſynodo Erpesfordenſi an. MLXXIII habita, ob exigendas decimas Thuringorum; quæres Thuringos cum Saxonibus contra Regem exacuit, vt legitur in manuſcr. chronico Magadaburgenſi.*

† notat. II præuia, § IV.

querela, de inualeſcente paſſim veterum conſtitutionum neglectu.

IV Tanta igitur authoritas licet a modernis quibuſdam ſacerdotibus adnulletur, continget tamen eis in teſtimonium damnationis, quod ſcientes terminos antiquos, & ſanctorum Patrum decreta non debere tranſgredi, ſummopere transgrediuntur, obliti verborum illorum, quæ Dominus ad electos paſtores vel doctores in euangelio dicit: *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Neque enim hæc verba de præcedentium temporum rectoribus ſolummodo dicta ſunt, ſed etiam de illis, qui vſque ad conſummationem ſæculi eccleſiam ſuam ſunt recturi, non deſtructuri. Nam de deſtructoribus & peruerſis paſtoribus Dominus alibi dicit; *Væ vobis legiſperitis, qui tuliſtis clauem ſcientiæ, & ipſi non intraſtis, nec alios intrare permiſiſtis.* Et rurſum: *Væ vobis hypocritæ, qui decimatis mentam, & anetum, & cyminum, & grauiora legis præcepta reliquiſtis, hoc eſt, iudicium, miſericordiam, & fidem. Hæc oportuit facere, & illa non omittere.* Multa quoque in Ezechiele Propheta huiusmodi paſtoribus dicuntur. Sed ſi placet, interrogemus eoſdem paſtores, quomodo velint ſua roborare, ſi præcedentium Patrum ſtatuta iudicauerint eſſe deſtruenda; 327

Luc. 10, 16.

Luc. 11, 52.

Matth. 23, 23.

Edit. I pag. ſtruenda ; vel quomodo ædificium ſuperpoſitum ſtare poſſit , ſi fundamenta eius ſunt eiicienda. fundamenta namque eccleſiæ ſuæ primi Patres fuere , ſicut ſcriptum eſt : *fundamenta eius in montibus ſanctis.* Quicunque igitur lapidum ſuperpoſitorum fundamenta talia ſequi dedignatur , de ædificio cæleſti eliminatur. *Pſ. 86, 1.*

Ad hæc etiam dicamus quoddam argumentum , quod omnibus conſtat notum. Si quis itaque ditionis ſuæ ſiluam extirpandam pro agri cultura aggreditur, quantæcunque longitudinis & latitudinis voluerit agros exinde ſibimet metitur, aliis vero non ea , ſed qua vult , menſura partitur , habens poteſtatem vnicuique , prout vult , diuidere. Cum ergo hoc ita eſſe ſciatur ab omnibus , cur rogo ignoratur , quod primi principes eccleſiarum, Apoſtoli ſcilicet , omnesque, qui eorum veſtigia ſequentes , vnicuique genti ſacram fidem primitus tradiderunt, extirpatis errorum variorum ſiluis , in quibuſdam populis ac prouinciis poteſtatem habuerunt, poſſeſſiones vel decimas , quæ ſibi contingebant , illi & illi eccleſiæ donare ; quandoquidem iuxta ſanctorum Canonum decreta † decimas in quatuor portiones diuidentes , vnam ſibi , alteram clericis , tertiam pauperibus, quartam reſtaurandis eccleſiis tradiderunt? Nunquid auaritiæ ſuæ tantummodo conſulentes , in diſtributione decimarum , obliti ſunt pauperum , reſtaurationiſ- 328 que eccleſiarum , ſicut modo , proh dolor , cernimus agi ? Canones enim ſancti , ex quorum autoritate exiguntur decimæ , non ſolum decimas dari , ſed etiam inter varios iubent diſtribui ; vt in vrbibus quibuslibet , & vicis xenodochia habeantur , vt pauperes & peregrini alantur. Sed tam ſanctum , tam neceſſarium præceptum in plurimis locis non ſolum minime curatur , ſed etiam pæne ignoratur. Nam ſolummodo illud legitur , quod Epiſcopis decimæ ſint tribuendæ : quid vero exinde agendum ſit , vel ſi quidquam aliud curandum ſit circa monaſteria, tam a clericis , miſerabile dictu, quam a laicis deſtructa,* circaque iudicia Chriſtianæ religionis ſubuerſa , obliuioni ſeu ignorantiæ commendatur. Vnde vereor , ne de præſentis temporis rectoribus auaritia inexplebili corruptis Pſalmiſta prophetizans , dixerit: *Corrupti ſunt , & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis ;* eum enim nihil dicendum ſit corruptum , niſi quod prius fuit integrum , rectores vel paſtores , quique in hoc quidem dici poſſunt fuiſſe integri , quia a Deo ſapientia omnimoda ad iudicium verum faciendum erant inſtructi ; ideo autem corrupti , quia non ſecundum datam ſibi ſapientiam , ſed iuxta lucri obtinendi quantitatem iudicant. *item, de defraudatione pauperum : decimarum in diſtributione ; citraque* *Pſ. 13, 1.*

* *Id etiam præcipit Gregorius Papa II ex eius capitulari cap. XVI. Lege concil. I Aurelianenſe can. V.* Ita *Mabillonius infra lib. I cap. XVIII* (XXIII Serar.) *quod adhuc vigebat tempore Hincmari , vt patet* l. d. pag. 30.

Atque vtinam ipſi paſtores tantummodo dedignarentur pauperibus decimas diuidere , & non alios quoſdam , monachos dico , apud quos aliqua adhuc huiuſmodi cura exercetur , prohiberent ; moliti antiquæ traditionis decimas ab eorum iure auferre. Cur igitur S. Bonifacius , cui Deus tantam in omni Germania poteſtatem contulit , vt quouis vellet eccleſias , cœnobiaque fundaret , ſedes epiſcopales ſtatueret , parochiaſque earum diuideret , non cuilibet loco , quem ſibi ſpecialiter elegit , poſſeſſiones & decimas aliquas donare potuit ? Nonne per eandem auctoritatem , qua moderni Pontifices militibus , aliiſque ſæcularibus hominibus decimas dare ſolent , ſanctus Bonifacius monachis vel pauperibus erogare eaſdem potuit ? ſi reliqua eius ſtatuta videntur ſancta , ſi omnia, quæ Canonicis diſtribuit , ſunt laudanda , cur quæſo hoc ſolum , quod monachis & pauperibus dedit , decernitur iniuſtum ? Heu , heu , quod is , cui plurima diuitibus dare licuit , licentiam dicitur non habere pauperibus vel pauca erogare. Super hoc obſtupeſcite cæli , orbis quoque terrarum , & vniuerſi , qui habitant in eo , doleant , quia mundus iam in maligno poſitus eſt adeo , vt eis viuere inuideat , illos extinguere ſtudeat , qui ad hoc ſpecialiter electi , & ſegregati ſunt de mun- 329 do , vt maiori ſtudio intercederent pro ipſo. *nec non aegritudine quorundã, qua inuident monachis.*

V Sed huius querimoniæ interiectio iam finiatur , vt ad id , vnde receſſimus , ſtilus reuertatur. Dixi namque prius, quod iterum dico , quia inter omnes litteras , quas de S. Bonifacio habetis , epiſtolæ illius mihi præcipuæ viderentur. Vnde quaſcunque huic operi neceſſarias inuenire potui , in vnum colligere ſtudui , ſperans aliquem æmulum , & tantæ auctoritatis ignarum lectorem exinde poſſe *Repetitio dictorum , de epiſtolis inſperſis.*

posse ædificari. Proinde & vos, fratres Fuldenses, vnice peto atque admoneo, vt easdem epistolas intentione summa legatis, Deo supplicantes, vt per eius preces, a quo vel per quem scriptæ sunt, quique, vt in eis legitur, sanctam ecclesiam in Germania positam, maximo labore a prauis sacerdotibus quondam eripuit, nunc etiam a similium potestate vos locumque vestrum defendere dignetur. Edit. I pag.

operis diuisio.

VI Duos autem libellos, adiuuante Domino, tam de vita sancti viri, quam de epistolis supradictis scribere gestio; in *priori* quidem referens, quis fuerit, quidque ante acceptam Mogonciacensis ecclesiæ sedem in sancta ecclesia laborauerit: in *altero* vero, quæ postea vsque ad finem vitæ suæ gloriosum egerit.

Quis sim, qui vobis fero munus tale laboris,
Vos quoniam scitis, nolite precor dare multis,
Ne persona mei vilis faciat mea sperni.
Sit magis hoc studium vobis, deposcere CHRISTVM,
Vt sibimet placita maneant præsentia scripta.

CAPVT I

S. Bonifacii patria.

CVM gens Anglorum sacræ fidei iugo per S. Gregorii Papæ Apostolatum subdita, eius suffragantibus meritis, in sanctorum virorum procreatione præ multis nationibus splendere cœpisset, multaque lumina sanctæ ecclesiæ, quibus variæ cordium obcæcationes illustrarentur, protulisset, inter huius mundi lumina sanctum quoque Bonifacium, velut luciferum quendam, ceteris sideribus clariorem, huic mundo edere meruit.

V. Beda *l.* 1 *hist. c.* 15 *l.* 2 *c.* 1. Egilvvaldus *l.* 1 *c.* 1. *Religiosa Anglia*, Sludus; *Paradisus Dei*, *MS.* 1 *col.* (S.)

CAPVT II

330

De pueritia, puerilique institutione ac indole.

QVi nimirum magna parentum solicitudine nutritus, magnarum etiam virtutum, per incrementa temporum, amator est factus. Nam cum adhuc paruulus esset, si quem forte clericum vel laicum verbi diuini notitiam deferentem audire contigisset, mox quantum ætatis suæ teneritudo præualuit, quid sibi suæque qualitati exinde profectuosum foret, tractare cœpit.

Beda *in Cuthberto cap.* 9. (S.)

CAPVT III

De ipsius in cœnobium ingressu, primoque religiosæ vitæ tirocinio.

I

CVmque ita meditatione diuturna sese ad superna erigeret, patri etiam ea, quæ animo gerebat, reuelauit, & vt suæ consuleret voluntati, rogauit. Audiens hæc autem pater eius, primum obstupuit, deinde eum increpans, nunc minis, nunc vero blandimentis ad sæcularis vitæ curam impellere studuit. Ad hæc etiam, vt eius animum adhuc tenerum a concepti perfectione propositi facilius declinaret, promisit, se post vitæ suæ tempora, eum & prædiorum, & omnium rerum suarum heredem facturum. Præterea protestatus est, lubricæ ætati, humanæque fragilitati tolerabiliorem esse actiuam vitam, quam contemplatiuam, meliusque esse inter mediocres vel extremos regni cælestis ciues quemlibet studiis facilioribus contubernium quærere, quam per maxima, & pæne impossibilia perfectionis certamina incipere, deinde vero, dum ea nequit percurrere, in via deficere.

II Sed puer sanctus, virtute diuina iam plenus, quanto magis eum pater reuocare

Edit. I pag. 331

reuocare ad sæcularia studebat, tanto constantius in inceptis perdurare, & ad sacrarum litterarum notitiam pertingere anhelabat. Vnde miro dispensationis iudicio factum est, vt pater, qui solus erat impedimento, repentina infirmitate correptus, pristinam mentis pertinaciam deponeret, puerumque per legatos idoneos ad monasterium, quod prisco nuncupatur vocabulo * Adescancastre dirigeret, commendans eum Wolfhardo, venerabili eiusdem monasterii Abbati, a quo protinus, sicut monasticus ordo poscebat, benigne susceptus, fratribus commendatus, vniuersa religionis munia, quæ huiusmodi ætas permisit, bene cœpit, meliusque de die in diem compleuit. Surius *Adescancaster*

* Wilibaldo, *Adestancastre*, ad quem *Mabillo* p. 6 in notis subiungit: *al.* Adescancastre, & ad Escam castrum; *quod* Edvvardus Maihevv *in martyrolog. Anglo-Benedictino non male interpretatur* Exoniam, *vulgo* Excester, *primariam Deuoniæ ciuitatem, ad Iscam flumen, quæ* Adescancastrum *dicta sit, quasi* castrum ad Iscam, *tametsi monasterium apud Exoniam tum fuisse, nullum prodit monumentum. Hæc* Mabillo. *Conf. quoque* Sagittarius *antiquitat. gentil. & christian. Thuring. lib. III cap. I § V p.* 121.

CAPVT IV

De ipsius in veris solidisque virtutibus progressu: & ingenti sacrarum litterarum studio: aliarumque cum illis disciplinarum coniunctione.

I

POstquam vero pueritiæ annos transcendit, in tantum se venerabilium institutis Patrum, & sacræ lectionis subdidit exercitio, vt quibuslibet momentis augerentur in eo multarum insignia virtutum, implereturque in illo, quod Psalmista de quorundam profectu testatur, dicens: *Ibunt de virtute in virtutem.* Denique cum inceſſabili sacrarum scripturarum meditationi deditus, omnem regularis vitæ disciplinam sub præfati Abbatis gubernatione per annos plures custodiret, ibique tam pro desiderii sui quantitate, quam doctorum penuria, in lectione diuina satiari nequiret, cum consensu Abbatis, fratrumque suorum, ad monasterium, quod vsque hodie dicitur Nuiscelle, peruenit, & beatæ memoriæ Winberti Abbatis, qui venerabiliter eidem monasterio tunc præfuit, magisterium elegit. Vbi tandem tam Grammaticæ artis, metricæque subtilitatis, quam spiritualis intelligentiæ desiderata eruditione potitus, adeo in hac pollere cœpit, vt eius scientiæ fama vndique diuulgata, ad ipsum etiam alii causa discendi confluerent. Psalm 8 v. notat. IV Surius, *Nutscelle.*

II Verumtamen ex tantæ scientiæ dono sese nullatenus extollebat, nullum minoris ingenii spernebat, sed quanto maiori vel literatoriæ intelligentiæ, vel aliarum virtutum excellentia a Deo præ ceteris promouebatur, tanto humilior, tanto deuotior ad eius compassionis & subiectionis studium sentiebatur, recolens iugiter illud Sapientis: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.* 332 Eccl. 3, 20

CAPVT V

De ipsius ad sacerdotii ordinem initiatione, veraque ad sacris operandum præparatione.

CVm ergo eo, quo diximus, nisu, & ipse alios humilitate ac subiectione præueniret, & illum alii, sapientiæ eius rumore incitati, vel ipsius saluberrima doctrina instructi, mutuo honore præuenirent, vt patrem, vniuersis in eius laudem conclamantibus, atque ad singulos ecclesiastici ordinis gradus eum promouentibus, tandem ad sacerdotalis officii dignitatem, XXX aut eo amplius annos habens, eligitur. Suscepta vero sacerdotii dignitate, qualem se exhibuerit, in vtriusque hominis contritione, vt sacramenti cælestis dignus fieret participatione, melius colligitur ex operum suorum testimonio, quam vllo verborum iudicio. v. notat.

Edit. I pag.

CAPVT VI

Quomodo a ſynodo & Rege ad Cantuarienſem Archiepiſcopum legatus ſit.

EOdem vero tempore regnante in Weſt * Saxonum Rege, noua quædam ſeditio in partibus illis exorta eſt, pro qua compeſcenda ſtatim prædicti Regis præcepto, primatumque ſuorum conſilio ſynodale ſeruorum Dei ſtatuitur concilium. Quo dum omnes conuenirent, & diſſenſionis exortæ cauſam diffinirent, ſapientibus quibuſdam placuit, vt vniuerſa ibi diffinita ad Archiepiſcopi venerabilis Cantuariæ ciuitatis, qui dictus eſt Berthwaldus **, notitiam deferrent.

* Weſt, *occidens eſt, in qua Angliæ parte Saxonum aliqui.* (S.)

** *Surius*, Beretvvaldum, *vel* Brichtvvaldum. (S.)

II Cui Rex vna cum omnium clericorum atque laicorum multitudine conſentiens, ſciſcitatus eſt, quis potiſſimum huius legationis delator eſſe potuiſſet. Tunc præcipuus inter eos Archimandrita Winberth, cuius ſuperius mentionem fecimus, & Wintra, qui monaſterio * Weſſesburch dicto præſidebat, & Beor- 333
wart, qui cœnobium, quod Gleſtingaburch † nuncupatur, regebat, nec non & alii multi venerabiles viri ſanctum Bonifacium accitum adduxerunt ad Regem, dicentes, eum legationi tantæ idoneum.

III Moxque commiſſa a Rege legationis eiuſdem cauſa, adhibitiſque ſecum
Cantuaria. ſociis, profectus eſt ad Cent, & Archiepiſcopo prænominato ſapienter, quemadmodum edoctus erat, omnia per ordinem intimauit, & poſt non multos dies reuerſus, præfato Regi, ac prædictis ſeruis Dei ex legationis commiſſæ reſponſo ſtrenue peracto, magnum vniuerſis contulit gaudium.

* Surius, vt auctor in margine iam obſeruauit, *Tiſſerburg.* Wilibaldus *Tiſſelburg.*

† *i. e.* Glaſtonienſe. *Sic enim in tomo I monaſtici Anglicani p. 13 legitur :* Hemgislus Abbas (*Glaſtonienſis*) fato perfunctus in vetuſta eccleſia pauſam corporis ſui ſuſcepit: cui ſucceſſit Berwaldus anno gratiæ ſeptingenteſimo quinto. Rex Ina dedit ei viginti hidas &c. *In charta donationis ab Ina factæ dicitur Kentvvinus Rex Glaſtingiæ* matrem ſanctorum *vocare ſolitus fuiſſe, & eam ab omni ſæculari & eccleſiaſtico obſequio immunem ſtatuiſſe, ac conceſſiſſe priuilegium fratribus eligendi Abbatem* ſecundum regulam S. Benedicti. *Lege* Wiethberti Presbyteri *epiſtol. LIII inter Bonifacianas* ad fratres monaſterii Gleſtingaburg. Ita *Mabillo* ad Wilibaldum pag. 9.

CAPVT VII

De illuſtri eius fama, & euangelii prædicandi zelo : longaque & difficili eum ob finem rogata & impetrata peregrinatione.

QVa de re nomen eius tam apud ſæculares, quam apud eccleſiaſtici ordinis viros celebre habebatur, adeo vt poſtmodum in eorum ſynodali ſæpiſſime
conf. notat. VI peteretur intereſſe conuentu. Sed quia mens eius Deo iam dedita, & ab omni humano fauore fuerat ſequeſtrata, cœpit omni modo tractare, qualiter parentum affiniumque ſuorum conſortia relinquere, & ad aliqua procul poſita loca pro Chriſti nomine poſſet tranſmigrare. Cumque hæc ſecum diutiſſime tractaret, ſolertiſſimeque deliberaret, tandem ad prædicti Abbatis notitiam detulit, & eum ad voluntatis ſuæ conſenſum magna precum inſtantia declinare ſtuduit. Qui licet talia admirans diu poſcenti obſtiterit, licentiamque huiuſmodi negauerit, poſtremo tamen, prouidentia diuina prædeſtinante, conualuit ſermo petentis, & tantam Abbatis, fratrumque ſuorum deuotionem ſimul & curam adoptato itineri habere meruit, vt ei neceſſaria quæque pro viatico impenderent, variaſque ſupplicationes cum lacrymis prolatas pro eo agerent, poſtulantes, vt angelus Domini bonus comes eius vbique eſſet, eumque ad proſpera cuncta dirigeret. Ad hæc etiam duos fratres, quorum corporali, ſpiritualique iuuamine ſuſtentaretur, ſecum abire permiſerunt.

CAPVT

Edit. I p. 334

CAPVT VIII

De ipsius itinere & aduentu in Frisiam.

SIcque vtriusque hominis supplemento suffultus, prospero cursu profectus est, peruenitque ad locum, qui antiquo Anglorum & Saxonum vocabulo appellatur Lundenwic *, ac non multo transacto postliminio, transiit ad Dorstet †, ibique aliquandiu commoratus, debitas Deo persoluit die noctuque laudes. Sed quoniam per idem tempus hostilis dissensio, exorta inter Karolum Principem glorioſumque Ducem Francorum, & Ratbodum Regem Fresonum, populos ex vtraque parte perturbabat, maximaque pars ecclesiarum Christi, quæ Francorum prius in Fresia subiectæ erant imperio, Ratbodi persecutione incumbente, idolorum culturæ lugubriter reddebatur **: ideoque vir Dei, perspecta tantæ peruersitatis mole, ex illis partibus discessit, & peruenit ad Treht, ibique etiam commoratus aliquantis diebus, aduenientem Regem Ratbodum allocutus est, obsecrans, vt a tanta prauitate quiesceret.

conf. notat. VI

conf. notat. VII

* Londinum *hodie*. Beda *lib. II histor. cap. II* Londoniam *vocat*, multorum emporium populorum, terra marique venientium: *quæ vrbs h. l. significatur. Idem auctor* Londoniam *dicit metropolim orientalium Saxonum, qui* Tamesi fluuio, *inquit*, dirimuntur a Cantia & ipsi orientali mari contigui. Ita *Mabillo* ad Wilibaldum, cap. IV p. 8.

† Sunt, qui locum hunc *Batauodurum* esse velint. vid. auctor infra notatione VI. *Sagittarius* l. d. lib. III § II p. 126 sibi, qui fuerit ille, adhuc ignotum esse, haud diffitetur.

** *Hinc refutantur ii, qui primam Bonifacii in Frisiam profectionem anno DCCIV consignant; tum quia Bervvaldus supra memoratus nondum eo anno erat Abbas Glastonienſis, tum quia Carolus Martellus vix dum infantiam exceſſerat, qui anno duntaxat DCCXVI cum Ratbodo bellum gerere cœpit. Mabillo* ad Wilibald. cap. IV p. 8.

CAPVT IX

Ipsius in Angliam e Frisia reditus, & delatæ cœnobiarchiæ modesta recusatio.

POsthæc vero peragratis illius terræ partibus sollicite explorauit, si alicubi in ea prouincia prædicationis pateret locus; cumque diuturna inquisitione intelligeret, se frustra ibidem prædicando laboraturum, arida spirituali fertilitate arua reliquit, & ad natale solum transmigrauit. Interea accidit, vt monasterii sui pater, deposito carnis ergastulo, vitam præsentem finiret. Cuius obitu fratres nimium contristati, sed a beato viro spiritualibus colloquiis lætificati, & vt regularis vitæ normam conseruantes, patrem quemlibet spiritualem eligerent, omnimodo instructi, omnes ipsum Sanctum, qui eo tempore Winfrid dicebatur, vni-
335 ce precabantur, vt pastoralem super eos suscipere curam dignaretur.

At ille altiora quæque in animo gerens, non eorum preces vllo superbiæ fastu despexit, sed quæ intentio sua esset, humiliter pandens, quod scilicet despectis cunctis patriæ facultatibus atque honoribus, pro Christi amore, proque aliorum salute peregrinari vellet, cum omnium charitate & licentia fratrum, vota sua obtinuit.

Conf. *Mabillo* in obseruat. præuiis ad vitam Bonifacian. § VIII p. 2.

CAPVT X

Romana eius profectio prima cum magna præditis pietate sociis pluribus.

ET vt eisdem votis maior auctoritas eueniret, adiit etiam ipsius loci Episcopum venerandum, nomine Danielem, petens, quatenus eius benedictione, & litteris commendatitiis ad Romam profecturus vti mereretur. Quam petitionem Episcopus idem, nutu diuino instinctus, benigne suscepit, efficaciter compleuit. Nam pastoris prouidi intentionem gerens, & bonæ indolis virum, nomine Stephanum, orbatæ congregationi præesse fecit: & hunc Dei famulum per longas peregrinationis vias ire cupientem ad loca desiderata cum litteris dimisit. Tali igitur benedictione suscepta protinus valedicens fratribus, proficiscitur per longa terrarum spatia, perque ignotas maris vias, donec collecta vndique

conf. notat. VIII

non modica multitudo seruorum Dei, eodem spiritu feruentium, ad eum conueniret. Hi ergo omnes vnanimiter per singulos dies multas Sanctorum ecclesias adierunt, obsecrantes, vt opitulante Deo tutius alpium iuga transcenderent, Longobardorumque ferocitatem erga se leniorem sentire mererentur. Edit. I pag.

CAPVT XI

In Romanam vrbem aduentus: & quid ibi egerit, acceperit.

conf. notat. VIII

CVmque vniuersa ferocissimæ gentis discrimina illæsi pertransirent, atque limina beati Petri Apostoli prospere adirent, statim debitas Christo grates persoluunt, ibique abolitionem peccaminum atque itineris sui felicem exitum deprecantes, sperata suffragia inuenerunt. Nam postquam sanctus vir venerabilem sedis Apostolicæ Præsulem, nomine Gregorium, qui eiusdem nominis secundus tunc habebatur, allocutus, ei aduentus sui causam manifestauit, & quali desiderio diutius desudasset, aperuit. Mox idem Præsul hilari vultu intuitus in eum, inquisiuit, an litteras ab Episcopo suo commendatitias detulisset. At ille concitus chartam ex more inuolutam proferens dedit Apostolico. Apostolicus vero, acceptis lectisque litteris, & comperto sancti viri desiderio, sedulum deinceps cum eo colloquium habuit, reuerenterque eum ibi commorantem retinens, pro qualibusque Sanctorum reliquiis postulabat, illi tradidit. Ad hæc etiam illi committens in cunctis Germaniæ populis curam prædicandi, tradidit epistolam, cuius exemplar tale inuenitur. 336

CAPVT XII

Pontificis Gregorii II, de facta S. Bonifacio prædicandi euangelii potestate, diploma.

conf. notat. IX

EXigit manifestata nobis religiosi propositi tui pie in Christo flagrantis intentio, & approbata sinceriſſima fidei tua prolata relatio: vt ad dispensationem verbi diuini, cuius per gratiam Dei curam gerimus, te comministro vtamur. Experientes proinde, te ab infantia sacras litteras didicisse, profectusque indolem ad augmentum crediti cælitus talenti prospectu diuini timoris extendere, videlicet gratiam cognitionis cælestis oraculi in laborem salutiferæ prædicationis, ad innotescendum gentibus incredulis mysterium fidei instanti conatu expendere, collætamur fidei tuæ & adiutores effici cupimus gratiæ prærogatæ. Igitur quia præmissi conatus pium affectum vsque ad Apostolicæ sedis, modesta prouisione, perduxisti consultum, vt membrum ex membro proprii corporis caput requirens, motum mentis probares, capitisque arbitrio humiliter te submittens, & eius directioni iusto tramite properans * solidati compaginis plenitudo existas. Ideo in nomine indiuisibilis Trinitatis, per inconcussam auctoritatem beati Petri Apostolorum principis, cuius doctrinæ magisterio fungimur, & locum sacræ sedis administramus, modestiam tuæ religionis instituimus, atque præcipimus, vt in verbo Dei (quo igne salutifero, quem Dominus mittere venit in terram, enitere videris) ad quascunque gentes infidelitatis errore detentas properare, Deo annuente, potueris, mysterium regni Dei per insinuationem nominis Christi Domini Dei nostri veritatis suasione designes, & per spiritum virtutis & dilectionis ac sobrietatis prædicationem vtriusque testamenti mentibus indoctis consona ratione transfundas. Disciplinam denique sacramenti, quam ad initiandos Deo præuio credituros tenere studeas ex formula officiorum sanctæ nostræ sedis Apostolicæ, institutionis tuæ gratia prælibata, volumus vt intendas. Quod actioni susceptæ tibi deesse perspexeris, nobis vt volueris intimare, curabis. Bene vale. Data Id. Maii imperante Domino piissimo Augusto * Leone a Deo coronato. Anno III Imperii eius, indictione II †. 337

Surius, solidati

* *Surius*, Leone II. *Alii vocant* tertium. (S.)

† *Anno DCCXIX.* Ita *Mabillo* p. 34. Aliter *Sagittarius* l. d. cap. IV § IV p. 135; quippe qui litteras has haud in an. DCCXIX reiiciendas, sed ad an. DCCXVIII referendas vult. In compendium eas misit *Auentinus* lib. III annal. Boicor. cap. VIII sect. 24, vt tamen nonnulla immutarit, nonnulla de suo addiderit. Speciatim vero inserit hæc: *tu vero non fabulas hominum, nec quæstum tuum, sed Christum & sacras vtriusque testamenti litteras prædicato.*

CAPVT

Edit. I pag.

CAPVT XIII

Roma in Bauariam & Thuringiam venit S. Bonifacius, & in hac prædicandi acceptam poteſtatem exercere cœpit.

HIs litteris acceptis a venerabili Papa, profectus eſt inde ad Longobardorum Regem Luitprandum, a quo honorifice ſuſceptus, aliquandiu cum eo eſt hoſpitatus. Profectus vero exinde, ardua & prærupta alpium iuga tranſcendit, incognitoſque * Bagoariorum & Germaniæ terminos perluſtrans, in Thuringiam deuenit, conſiderans & explorans in omnibus inſtar prudentiſſimæ apis, vbi poſtmodum nectaream ſanctæ fidei dulcedinem colligere poſſet. Cumque per aliquot dies in Thuringia commoraretur, interim omnes illius prouinciæ Principes verbis ſpiritualibus alloquens, ad ſacræ fidei agnitionem, totiuſque religionis tramitem reuocauit. Sed & ſacerdotes, quos ſceleribus variis deditos comperit, ſermonibus euangelicis admonens, ad inſtitutionis canonicæ normam correxit.

conf. notat. XIII

Surius, Baioariorum

338

CAPVT XIV

In Friſiam, eiuſdem obeundi muneris cauſſa, proficiſcitur.

INterea vero audita Ratbodi Freſonum Regis morte, qui perſecutionem magnam per idem tempus in Chriſtianos exercuit, magno repletus gaudio in Freſiam nauigando deuenit, ibique verbi diuini ſemina ſpargens, plurimos ab errore idololatriæ retraxit. Sub eodem quoque tempore per venerabilem Willibrordum Traiectenſis eccleſiæ Præſulem buccina cæleſtis doctrinæ in Freſiam inſonuit. Cuius ſtudio ſanctus Dei famulus Bonifacius omnimodo congaudens & adhærens, per tres continuos annos * laborauit cum illo, tam in deſtruendis fanis, quam in conſtruendis eccleſiis, omnibuſque negotiis diuinis.

conf. notat. X & XI

* Ita quoque *VVilibaldus*, ad quem *Mabillo* in notis p. 14; *Tredecim annos ſcribunt* S. Liudgerus *in vita S. Gregorii*, *Traiectenſis Abbatis*, Hucbaldus *in vita S. Lebuini*, Ioannes de Beka *in chronico*, *& ſi qui alii*. *At* tres annos *duntaxat legendum eſſe perſuadent tum* Othlonus *lib. I vitæ S. Bonifacii cap. XI, tum pontificatus Gregorii Papæ II, a quo S. Bonifacium anno DCCXXIII, hoc eſt, poſt quatuor annos, quam in Germaniam ab eodem directus fuerat, ordinatum fuiſſe, ex ſequentibus manifeſtum eſt.*

CAPVT XV

Epiſcopatum, ne ab ſuo in Germania munere auocaretur, in eove impediretur, recuſat.

VNde factum eſt, vt quia prædictus Pontifex ætate iam decrepita grauatus, ſuggerentibus diſcipulis, ſolatium ſuæ ſenectuti prouidere cupiebat, hunc Dei famulum ad Epiſcopalis regiminis ſuſcipiendum gradum, regendumque ſibi commiſſum populum vnice obſecraret. Sed ille talia humiliter reſpuens, minime ſe dignum eſſe Epiſcopali gradu referebat; & ne ſibi in annis adoleſcentiæ adhuc conſtituto tantæ dignitatis faſtigium imponeret, precibus omnibus inſtabat; atteſtans etiam, quia, iuxta canonicæ inſtitutionis præcepta, nec dum quinquageſimi anni ætatem, qui huius gradus culmini conueniret, pleniter reciperet.

conf. notat. XI

Prædicto vero Pontifice blandis illum verbis increpante, & ad ſuſcipiendum Epiſcopatus ordinem inſtigante, diuerſiſque pro hac ſpirituali contentione verbis inuicem prolatis, hic ſanctus vir in tanto agone poſitus, placidum tandem
339 excuſationis ſermonem protulit, dicens: Onus regiminis, quod mihi indigno imponere cupis, ſancte Præſul, ſuſcipere non audeo, quia a beato Gregorio Papa in Germaniam, ob euangelizandi cauſſam, directus ſum, ipſiuſque legationis gratia in has barbaras nationes aduenies, ſponte me tuæ gubernationis imperio ſubieci. Tantum ergo mandatum præterire, & aliud quodlibet negotium ſubire nullatenus præſumo. Vnde, Pater venerande, obſecro, vt in illas regiones, ad quas a Præſule Apoſtolico miſſus ſum, cum tua gratia ſimul & licentia tranſire merear.

Edit. I pag.

CAPVT XVI

In Germania plurimos conuertit, monaſterium excitat.

conf. notat. XXVII

HAEc audiens ſanctus Willibrordus, data benedictione, permiſit eum abire. Ille vero exinde proficiſcens, peruenit ad locum, cui nomen eſt Amanaburg, Deum vbique habens conuiatorem; cuius etiam virtute atque protectione ſuffultus, quocunque perrexit, vbique ſacræ doctrinæ notitiam dilatauit. Cumque ingentem populum Domino in Freſia prædicando acquireret, multi ab eius ſpirituali doctrina educati, ad agnitionem veritatis peruenerunt, adeo, vt ſupradictum locum, cui gemini præerant germani, Dietih videlicet & Dierorolf*, Domino Deo auxiliante obtinens, collecta non pauca fratrum congregatione, monaſterium conſtrueret.

* *Surius*, Dietichus & Dierolphus.

CAPVT XVII

In Haſſia plurimos Chriſtiana fide initiat: & de felici euangelii ſucceſſu Romanum facit certiorem Pontificem.

conf. notat. XIV

TVnc etiam alias Germaniæ partes prædicandi cauſſa adiit, Heſſones videlicet in Saxonum confinio poſitos. Quos cum ſimiliter a paganicæ ſuperſtitionis cultu magna ex parte conuerteret, multaque millia hominum baptiſmatis ſacramento abluiſſet, miſit quendam ex ſuis fidelem, nomine Binnam, ad Romam cum litteris, denuntians venerando Præſuli Apoſtolico vniuerſa, quæ circa illum diuina pietas egerit, quantaque multitudo hominum ſancti Spiritus gratia illuſtrata, regenerationis lauacrum ab eo ſuſceperit. Sed & de rebus variis, quæ ad quotidianam regulæ eccleſiaſticæ neceſſitatem, populique nouiter conuerſi curam pertinebant, prudenti interrogatione conſcripſit. Prædictus vero legatus cuncta ſibi commiſſa fideliter complens, Apoſtolico Præſuli miſſas detulit litteras, aliaſque ab illo, ſuper vniuerſis quæſtionibus propoſitis continentes reſponſa, magiſtro ſuo deferens quantocius rediit. 340

CAPVT XVIII

Romam a Pontifice vocatus, profectionem, quæ ſecunda eſt, inſtituit: & ab illo multa ſuper Germanorum conuerſione rogatus, de fideique quæſtionibus examinatus, Epiſcopus creatur.

CVm autem ſanctus vir delatas legiſſet litteras, ſeque inter cetera inuitatum ad Romam intellexiſſet, mox ſummum obedientiæ gradum contendens, clientum, fratrumque circumſeptus agmine Italiæ fines adiit. At Romanæ vrbis mœnibus inſpectis, omnipotenti Deo condignas gratiarum laudes retulit, ſeſeque beatorum Apoſtolorum patrocinio commendauit.

Deinde comperto ſancti viri aduentu, ſtatim venerabilis Papa Gregorius illum ad ſe inuitauit, & verbis familiaribus ſalutatum honorifico xenodochio deputauit. Adueniente vero opportuno collocutionis eorum die, ad eccleſiam beati Petri Apoſtoli hic Dei famulus inuitabatur. Vbi cum ſe mutuis ac pacificis ſatiaſſent colloquiis, Præſul Apoſtolicus illum de ſymbolo, fideique Catholicæ traditione inquiſiuit. Ad hæc vir Dei reſpondit, dicens: Quia, Domine Apoſtolice, inquiſitioni tantæ in communi ſermone idoneus non ſum reſpondere, quæſo, vt fidei, quam a me exigis, conſcribendæ tempus mihi concedas, ſicque mutis tantum litteris denudatam agnoſcere valeas. Quam petitionem cum Papa benigne ſuſciperet atque concederet, paruo dehinc tempore tranſacto, vir Domini ſanctæ atque Catholicæ fidei ſententiam omni conuenientia & eloquentia prolatam litteris præfato Principi obtulit. 341

At ille lectis eiſdem litteris, eum iuxta ſe ſedere facit, & vt huiuſmodi fidem conſtanter retineret, diligenter edoceret, admonuit. Multa quoque de religione ſpiritalis vitæ cum illo conferens, ita vt interdum integrum pæne diem colloquendo

Edit. I pag. loquendo ducerent. Ad extremum, quot populi per deuia idololatriæ, vel facinorum prius oberrantes, fidei documenta prædicatione perciperent, ſciſcitatus eſt. Cumque Apoſtolico de his omnibus ſatisfeciſſet reſpondendo, tunc ille intimauit ſancto viro, quia Epiſcopatus gradum ſibi imponere voluiſſet, vt eo conſtantius errantes quoslibet corrigere, & ad viam veritatis conuertere poſſet, quo maior autoritate Apoſtolicæ dignitatis fulciretur, eſſetque cunctis tanto acceptior in prædicandi officio, quanto plus clareſceret, quia ad hoc a Præſule ordinatus eſſet Apoſtolico. Quæ omnia vir Dei ſagaciter perpendens, ſimulque cauens, quod ſcriptum eſt: *Qui noluit benedictionem, elongabitur ab eo*, benedictionis tantæ gratiam non recuſauit. Pſ. 108, 18.

Adueniente ergo ordinationis eius die, quæ erat pridie Kalendarum Decembrium, hoc eſt, in natali ſancti Andreæ Apoſtoli, impoſuit ei venerabilis Papa & Epiſcopatus ordinem, & alterius nominis, quod eſt *Bonifacius*, dignitatem. Nam antea *Winfrid* dicebatur. Deinde vt eum ad obedientiam ſibi, ſucceſſoribuſque ſuis exhibendam, nec non ad omnem ſacræ fidei traditionem obſeruandam arctius conſtringeret, exegit & accepit ab eo iuramentum, quod ſcilicet in antiquis exemplaribus inuenitur ita ſcriptum. *conf.* notat. XVI

Mabillo ad Wilibald. cap. VII p. 16; *Iam ante ordinationem ſuam* Winfridus *nomen habebat* Bonifacius, *vt conſtat ex epiſt.* Gregorii *ab* Othlono *relata lib. I c. IX*, data Idib. Maii anno tertio imperii Leonis, indictione ſecunda, *i. e. anno DCCXIX: quæ tamen epiſtola* Bonifacio religioſo Presbytero *inſcripta eſt. Exſtat & alia* Buggæ *Abbatiſſæ eodem anno directa* Bonifacio ſiue Winfredo, digniſſimo Dei Presbytero: *quæ epiſtola inter Bonifacianas eſt XXXV.*

342

CAPVT XIX

S. Bonifacii iuſiurandum, quo ſe ad Catholicæ fidei veritatem tuendam, Romanoque Pontifici obedientiam præſtandam ſancte obſtrinxit.

IN nomine Domini Dei Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, imperante domino Leone Magno Imperatore, anno VII poſt conſulatum eius †, ſed & Conſtantini Magni Imperatoris eius filii anno IV, Indictione VI, promitto ego Bonifacius, Dei gratia Epiſcopus, tibi, beate Petre Apoſtolorum princeps, vicarioque tuo beato Gregorio Papæ, & ſucceſſoribus eius, per Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, Trinitatem inſeparabilem, & hoc ſacratiſſimum corpus tuum, me omnem fidem & puritatem ſanctæ fidei Catholicæ exhibere, & in vnitate eiuſdem fidei, Deo operante, perſiſtere, in quo omnis Chriſtianorum ſalus eſſe, ſine dubio comprobatur, nullo modo me contra vnitatem communis & vniuerſalis eccleſiæ, ſuadente quopiam, conſentire, ſed, vt dixi, fidem & puritatem meam atque concurſum, tibi & vtilitatibus tuæ eccleſiæ, cui a Domino Deo poteſtas ligandi ſoluendique data eſt, & prædicto vicario tuo atque ſucceſſoribus eius per omnia exhibere. Sed & ſi cognouero, Antiſtites contra inſtituta antiqua ſanctorum Patrum conuerſari, cum eis nullam habere communionem aut coniunctionem; ſed magis, ſi valuero prohibere, prohibeam; ſi minus; hoc fideliter ſtatim domno meo Apoſtolico renuntiabo. Quod ſi, quod abſit, contra huius profeſſionis meæ ſeriem aliquid facere quolibet modo, ſeu ingenio, vel occaſione, tentauero, reus inueniar in æterno iudicio, vltionem Ananiæ, & Saphiræ incurram, qui vobis etiam de rebus propriis fraudem facere præſumpſit. * Hoc autem indiculum ſacramenti ego Bonifacius exiguus Epiſcopus manu propria ſcripſi, atque ponens ſupra ſacratiſſimum corpus ſancti Petri †, ita vt præſcriptum, Deo teſte & iudice, feci ſacramentum, quod & conſeruare promitto. *conf.* notat. XV. Matth. 16, 19. Act. 5, 3 ſq.

† *Mabillo* ad h. l. p. 36; Sirmondus *ex codicibus Remenſi & Pithœano reponit*, anno VI, *probatque ex eo, quod Leo Iſaurus imperium inierit VIII Kal. April. & mox, vt coniectura eſt, conſulatum proximis Kalendis an. Chriſti DCCXVII obtinuerit, indictione XV*; *Bonifacius autem conſecratus ſit prid. Kal. Decembr. indict. VI*; *proindeque anno imperii & conſulatus Leonis VI, Chriſti DCCXXII. Sirmondo fauet* Marianus Scotus *in chronico. Verum retinendus videtur annus Leonis VII & indictio VI, non a die XXV Sept. ſed a Kalend. Ianuariis hoc loco numeranda. Quippe Bonifacius ex primo itinere Romano ſe recepit in Germaniam ſub finem anni DCCXIX; tum VVillibrordo adhæſit per annos tres: deinde Saxones & Heſſones conuertit ad fidem, quo negotio minimum intra vnum annum expleto Romam*

Romam vocatus, *a Gregorio II Episcopalem consecrationem accepit an. DCCXXIII. Certe Gregorius Papa in epistol. c. XVII referenda, data Kal. Decembr. Leonis Imperatoris* annum VII & indictionem VI *apponit.* At vid. quæ mox ad finem cap. XXII ex *Pagio* dabimus.

* *Surius*, hunc autem indiculum. (S.)

† *Hinc recte colligit* Serarius *lib. III notat. XV, Bonifacium fuisse ordinatum in Vaticano, vbi S. Petri corpus quieſcit.* Ita *Mabillo* ad h. l. p. 37.

Edit. I pag.

CAPVT XX

343

Canonum libro, Episcopatus diplomate, litterisque ad varios variis donatus, Roma in Germaniam redit S. Bonifacius.

conf. notat. XVII

Postquam ergo huiusmodi promissionem iurando coram Gregorio Papa peregit, tunc & ipse eum in omnibus adiuuare, præferre, & venerari studuit. Nam libellum, in quo sacratissima ecclesiasticæ institutionis iura, pontificalibus digesta conuentibus, habebantur, ei donauit; præcipiens, vt tam clerus, quam ceteri populi, suo regimini subiiciendi, institutis talibus erudirentur. Sed & familiaritatem sedis Apostolicæ sibi omnibusque sibi subiectis perenniter reseruandam priuilegio confirmauit, sicque eum litteris transmissis non solum Karolo Duci glorioso, qui per idem tempus Francorum regnum gubernabat, sed etiam vniuersis Ecclesiasticis viris, Principibusque in Germania constitutis, muniendum commendauit.

Litterarum autem tunc missarum exemplaria, quia locus præsens exigit, vt inserantur, hic iam inserere cupimus, primum quidem, quæ ad Karolum Ducem, deinde vero, quæ ad ceteros Principes directæ sunt, ponentes.

CAPVT XXI

Pontificis Gregorii II litteræ ad illustrem Francorum Ducem Carolum Martellum.

* *Domno glorioso filio Karolo Duci Gregorius Papa.*

* *Surius* Domino.

COmperientes te, in Christo dilectissime, religiosæ mentis affectum gerere, in multis opportunitatibus, debito salutis præmisso, notum facimus Deo dilectæ tuæ dignitati, præsentem fratrem Bonifacium, fide & moribus approbatum, a nobis Episcopum consecratum, atque institutionibus sanctæ sedis Apostolicæ, cui Deo auctore præsidemus, ecclesiæ generali sollicitudine informatum, ad 344
prædicandum plebibus Germaniæ gentis, ac diuersis in orientali Rheni fluminis parte consistentibus, gentilitatis errore detentis, vel adhuc ignorantiæ obscuritatibus præpeditis, necessario destinare. Pro quibus eum glorioſæ beneuolentiæ tuæ omnimodo commendamus, vt in omnibus necessitatibus adiuuetis, & contra quoslibet aduersarios, quibus in Domino præualetis, instantissime defendatis; certissime retinentes, vos exhibere Deo, quæcunque huic promptissimo
Ioan. 13, 20 impenderitis fauore: qui sanctis Apostolis suis, ad lucem gentium destinatis, suscipientibus eos, se suscipiendum prædixit; quorum institutionibus per nos informatus præmissus Antistes in sorte prædicationis procedit.

CAPVT XXII

Eiusdem Pontificis ad Germaniæ Episcopos, Duces, aliosque litteræ.

*Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei vniuersis reuerendissimis & sanctissimis Fratribus, Coepiscopis, religiosis Presbyteris seu Diaconibus, glorioſis Ducibus, magnificis * Castellis, Comitibus etiam, vel cunctis Christianis Deum timentibus.*

* *Surius*, Castaldis (*Ser.*) *al.* Guastaldis, *qui villas seu cortes regias procurabant, Gallis* Domestici *dicti. Mabillo* ad h. l. p. 38.

SOllicitudinem nimiam gerentes pro speculatione credita, quia in vmbra mortis aliquas gentes in Germaniæ partibus, vel plaga orientali Rheni fluminis, anti-

Edit. I pag. antiquo hoſte ſuadente, errare quaſi ſub religione Chriſtiana idolorum culturæ eos ſeruire cognouimus; aliquos vero, qui nec dum cognitionem Dei habentes, nec baptiſmatis ſacra vnda ſunt loti, ſed comparatione brutorum animalium pagani, factorem non recognoſcunt; neceſſario pro vtrorumque illuminatione ad prædicandum rectæ fidei verbum, harum litterarum portitorem Bonifacium, reuerendiſſimum fratrem noſtrum Epiſcopum, ad eaſdem partes dirigere ſtuduimus, vt & illis prædicando verbum ſalutis vitam prouideat ſempiternam, & ſi quos forte, vel vbicunque a rectæ tramite fidei deuiaſſe cognouerit, aut aſtutia diabolica ſuaſos erroneos repererit, corrigat, atque ſui educatione ad portum reſtituat ſalutis, eoſque ex Apoſtolicæ ſedis huius doctrina informet, & in eadem Catholica fide permanere inſtituat. Cui, hortamur ob amorem Domini noſtri
345 Ieſu Chriſti, & Apoſtolorum eius reuerentiam, vt in omnibus ſolatium exhibeatis, eumque in nomine Ieſu Chriſti recipiatis, vt ſcriptum eſt de ſuis diſcipulis: *Qui vos recipit, me recipit.* Prouidentes inſuper neceſſaria itineris eius, co- Ioan 13,20.
miteſque tribuentes, cibum etiam ac potum, vel ſi quid eguerit, largientes, vt vno labore & ſocia voluntate, opus ſibi creditum pietatis, & negotium ſalutis, annuente Deo, perficiatur, atque præmium laboris percipere mereamini, *deque conuerſatione errantium merces vobis aſcribatur in cælis. Si quis itaque huic Dei famulo, ad illuminationem gentium ab hac Apoſtolica atque Catholica Dei eccleſia deſtinato, aſſenſum vel concurſum præbuerit, exortantibus Apoſtolorum principibus, conſortium mereatur ſanctorum martyrum Chriſti Ieſu. Si quis vero, quod non optamus, aduerſari eius labori conatus fuerit, aut contrarius extiterit miniſterio ſibi credito, ſucceſſorumque eius in eundem laborem intrantium, ex ſententia diuina, anathematis vinculo ligatus, perpetuæ damnationi ſubiaceat. Data Kal. Decembris. Imperante Domno piiſſimo Auguſto Leone, Imperii eius anno VII. Sed & Conſtantini Imperatoris eius filii anno IV, Indictione VI †.

* *Surius*, conuerſione. (S.)

† *Mendoſa indictio, legendumque*, indictione VII. Sirmondus *quidem mendum in annis vtriuſque Imperatoris eſſe putat, ideoque anno elapſo* (DCCXXII) *Bonifacium creatum eſſe Epiſcopum. At ex eiuſdem Pontificis litteris annis ſequentibus datis liquet, non in annos Imperatorum, ſed in indictionem errorem irrepſiſſe. Præterquam quod librarium in vno, quam in duobus peccaſſe, longe veriſimilius. In iuramento, quod Bonifacius eidem Gregorio præſtitit, eadem indictio VI legitur. Sed vtrobique mendoſe.* Ita *Pagi* ad an. DCCXXIII n. II p. m. 198.

CAPVT XXIII

Eiuſdem ad reliquum Germaniæ Clerum, & populum litteræ.

Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Clero & Plebi, dilectiſſimis filiis in Domino ſalutem.

PRobabilibus deſideriis nihil tarditatis præſtantes, fratrem iam & Coepiſcopum noſtrum Bonifacium vobis ordinauimus ſacerdotem, cui dedimus in mandatis, ne vnquam ordinationes præſumat illicitas, ne bigamum, aut qui virginem non eſt ſortitus vxorem, neque * in litterarum, vel in qualibet corporis parte vitiatum, aut † expœnitentiæ vel curiæ, aut cuilibet conditioni obnoxium, notatumque ad ſacros ordines permittat accedere. Sed & ſi quos huiuſmodi reperit, non audeat promouere, quia aliqui eorum Manichæi, aliqui rebaptizati ſæpius ſunt probati. Miniſteria atque * ordinatum eccleſiæ, vel quidquid illud eſt, in patrimonio eiuſdem non minuere ſtudeat, ſed augere. De reditu vero eccleſiæ vel oblatione fidelium quatuor faciat portiones, quarum vnam
346 ſibi retineat, alteram Clericis pro officiorum ſedulitate diſtribuat, tertiam pauperibus & peregrinis, quartam eccleſiaſticis fabricis nouerit reſeruandam, de quibus diuino erit redditurus iudicio rationem. Ordinationes vero Presbyterorum ſeu Diaconorum non niſi quarti, ſeptimi, & decimi menſis ieiuniis, ſed & in ingreſſu quadrageſimali, atque medio, veſpere ſabbato ſacro nouerit celebrandas. Sancti autem baptiſmi ſacramentum non niſi in paſchali feſtiuitate & pentecoſte nouerit eſſe præbendum; exceptis his, quibus mortis vrgente periculo, ne in æternum pereant, talibus oportet remediis ſubuenire. Huic ergo ſedis

noſtræ præcepta ſeruanti deuotis animis obſequi vos oportet, vt irreprehenſibile placidumque fiat corpus eccleſiæ per Chriſtum Dominum noſtrum. Deus vos incolumes cuſtodiat, dilectiſſimi filii. Edit. I pag.

* *Surius*, illiteratum. (Ser.)
† *Surius*, ex pœnitente. (Ser.)
* *Surius*, ornatum. (Ser.)

Has quidem duas ſupra ſcriptas epiſtolas communiter omnibus Principibus in Germania conſtitutis, duas vero ſequentes ſpecialiter Thuringis Principibus miſit prædictus Papa.

CAPVT XXIV

Ad Thuringos, quos & generis nobilitas, & opum abundantia, ſed multo magis conſtans in ſuſcepta Chriſti Domini fide perſeuerantia, inſigniſque confeſſio nobilitabat, eiuſdem Pontificis litteræ.

*Viris magnificis * Aſolfo, Godolao, Wilario, Cunthario, Albordo, & omnibus Deo dilectis Thuringis fidelibus Chriſtianis Gregorius Papa.*

* *Surius*, Aſolpho, Godolao, Wilario, Gunthario, Alboldo. (S.)

INſinuatam vobis magnificæ fidei conſtantiam agnoſcens, quod paganis compellentibus vos ad idola colenda, fide plena reſponderitis, magis velle feliciter mori, quam fidem ſemel in Chriſto acceptam aliquatenus violare, repleti nimia exultatione grates debitas perſoluimus DEO noſtro, redemptori, bonorum omnium largitori, cuius gratia comitante, vos ad meliora & potiora optamus proficere, & ad confirmandum fidei veræ propoſitum, ſanctæ ſedis Apoſtolicæ religioſis mentibus adhærere, & prout opus popoſcerit, ſacræ religionis a memorata ſancta ſede Apoſtolica, ſpirituali omnium fidelium matre, ſolatium quærere, ſicut decet filios coheredes regni. Miniſterio quoque præſentis fratris chariſſimi Bonifacii, quem ad vos Epiſcopum conſecratum in ſorte prædicationis deſtinauimus, Apoſtolicis inſtitutionibus informatum, ad inſtruendam fidem veſtram, in omnibus volumus & hortamur obedientes ei conſentire ad complementum in Domino veſtræ ſaluationis. 347

CAPVT XXV

Ad ceteros Thuringos catechiſtica eiuſdem Pontificis epiſtola.

Gregorius ſeruus ſeruorum Dei vniuerſo populo Thuringorum.

DOminus Ieſus Chriſtus, Filius Dei, verus Deus, qui de cælo deſcendit, homo factus eſt, pro nobis pati, & crucifigi dignatus eſt, & ſepultus tertia die reſurrexit a mortuis, & aſcendit in cælum, diſcipulis etiam ſuis ſanctis ait: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti;* ipſe in ſe credentibus vitam æternam promiſit. Cupientes ergo vos in perpetuum nobiſcum gaudere, vbi finis nullus eſt, nec tribulatio, nec aliqua amaritudo, ſed gloria ſempiterna, ideo fratrem noſtrum ſanctiſſimum, Bonifacium Epiſcopum, ad vos direximus, vt vos debeat baptizare, & fidem Chriſti docere, & ab errore ad viam ſalutis deducere, vt ſalutem habeatis, & vitam ſempiternam. Sed vos ei in omnibus obedite, & ſicut patrem veſtrum illum honorate, & ad eius doctrinam corda veſtra inclinate, quia illum non pro lucro aliquo temporali acquirendo direximus, ſed pro lucro animarum veſtrarum ad vos eum miſimus. Diligite ergo Deum, & in nomine eius baptiſmum ſuſcipite; quia Dominus Deus noſter, *quod oculus hominis nunquam vidit, nec in cor hominis aſcendit, præparauit* Deus *diligentibus ſe.* Iam recedite a malis operibus, & agite bene: non adoretis idola, nec immoletis carnes; quia Deus non recipit iſta, ſed in omnibus, ſecundum quod frater noſter Bonifacius docuerit, obſeruate, & agite, & ſalui eritis vos & filii veſtri in ſempiternum. Facite ergo & domum, vbi debeat ipſe pater veſter habitare, & eccle- 348

Matth. 28, 19.

Eſa. 64, 4.

1 Cor. 2, 9.

ſias,

Edit. I pag. 349

sias, vbi debeatis orare, vt Deus vobis indulgeat peccata vestra, & donet vobis vitam perpetuam.

CAPVT XXVI

Ad omnes antiquos Saxones siue gentiles, siue iam Christianos, Pontificis eiusdem epistola.

Eandem hanc Gregorii e Bonifacianis epistolam excerpsit, & tom. I rer. Brunsu. n. XXXVIII p. 68, ceteris veterum scriptorum, quæ de Saxonibus agunt, locis inseruit *Leibnitius*. *Alt-Saxones* autem hi fuere, qui e Holsatia progressi, terras, quas Franci vacuas reliquerant, occuparunt, ac nomen *Ealt-Saxonum*, quo tum ab *Anglo-Saxonibus*, Ealt-Saxonum progenie, distinguebantur, aliquandiu adhuc retinuerunt. quo vid. *Gundlingius* fascic. VI Gundlingianor. obseruat. V § VI p. 91.

Gregorius Papa vniuerso populo prouinciæ Alt-Saxonum.

SApientibus & insipientibus debitor sum, fratres charissimi. ideoque volens vos scire, qualem sollicitudinem habeam pro vobis, & pro his, qui verbum exhortationis fidei Iesu Christi Domini nostri susceperunt, & qui adhuc suscepturi sunt, vt consolentur corda vestra instructa in charitate, & in omni plenitudine sapientiæ, annuntio vobis, quoniam prope est regnum Dei, vt nemo vos amplius decipiat, in sublimitate verborum, aut in quocumque metallo salutem vestram quæratis, adorantes idola manu facta, aurea, argentea, ærea, lapidea, vel de quacunque materia facta, quæ falsidica nomina a paganis antiquitus quasi dii facti sunt, in quibus dæmones habitare noscuntur. quoniam omnes dii gentium, vt ait scriptura, *dæmonia sunt, Deus autem noster cælos fecit.* Quicunque autem in vobis susceperit Christum Iesum Dominum nostrum, in ipso ambulent radicati, & superædificati, & confirmati in fide, abundantes in gratiarum actione. Videte, ne quis vos amplius decipiat per philosophiam & inanem fallaciam. Astutiores enim sunt filii tenebrarum, quam filii lucis. Discedite ab idolorum cultura, & accedite, & adorate Dominum Deum nostrum, qui fecit cælum & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt: & vultus vestri non erubescent. Vnus enim Dominus hominum, volucrum, quadrupedum, & piscium, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Expoliate vos veterem hominem, & induite Christum nouum, deponentes iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem quoque sermonem nolite de ore vestro proferre. Iam enim adueſperascit dies sæculi, & appropinquat tempus tenebrarum. Ideoque nolite esse otiosi, sed potius operamini opus bonum, vt Christus habitet in vobis, & quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine D. N. I. Christi, gratias agentes Deo patri per ipsum: respuentes gentilitatis sectam, scientes vos Dominum habere in cælis. Orationi instantes, ad ipsum Dominum cor erigite: quoniam magnus est Dominus Deus noster, & laudabilis nimis, & terribilis super omnes deos: qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire. Hoc etiam commoneo, fratres, vt quicunque ex vobis voluerit ad Christum conuerti, nullo modo eum prohibeatis, nec vim ei faciatis, sculptilia adorare. Ministrum quoque & conseruum in Domino, quem misi ad vos, Bonifacium fratrem ac Coepiscopum meum, ad hoc ipsum, vt cognoscat, quæ circa vos sunt, & consoletur corda vestra cum exhortationis verbo, in Iesu Christo Domino nostro susciptite, vt a diabolica fraude liberati mereamini adoptionis filiis aggregari.

Ps. 95, 5.
Coloss. 2, 8.
Luc. 16.
Col. 3, 8.
Col. 3, 17.
Ps. 95, 4.
1 Tim. 2, 4.

CAPVT XXVII

Roma redux S. Bonifacius cœptam in Hassia fidei Christianæ prædicationem perficit, falsa disturbat numina: in D. Petri honorem templum struit & consecrat.

TAntarum itaque litterarum auctoritate suffultus sanctus Præsul Bonifacius proficiscitur in Germaniam, venienſque ad præfatum Principem Karolum, litteras ei Romani Pontificis detulit, seseque illius dominio atque patrocinio subiiciens,

conf. notat. XIX, XX, XXI.

ſubiiciens, cum conſenſu eius in Heſſorum metas, quibus & antea prædicare cœperat, perrexit. Illuc ergo aduenies reperit plures ex eis, relicta Chriſtianæ religionis cultura, variis erroribus implicatos. Alii namque lignis & fontibus clam vel aperte ſacrificabant, alii vero aruſpicia, & diuinationes, præſtigia, & incantationes exercebant. Quidam autem alia nefanda quædam ſacrilegia intendebant, pauci vero in via veritatis, quam ſemel acceperant, perſtiterunt. Quorum etiam conſilio arborem quandam miræ magnitudinis, quæ priſco paganorum vocabulo appellabatur arbor Iouis, in loco, qui dicitur Geſmere, ſeruis Dei ſecum aſtantibus ſuccidere tentauit. Ad eiuſmodi autem arboris inciſionem magna paganorum multitudo concurrit, cupientes in ſanctum virum, velut inimicum deorum ſuorum, inter ipſa inciſionis opera irruere & interficere. Sed dum arbor eadem paululum incideretur, mox quaſi nutu diuino agitata, in quatuor partes diſrupta eſt. Quo viſo pagani, qui illuc mente peruerſa conuenerant, abiicientes omnem malitiam, benedicenteſque Deo crediderunt. Tunc ſanctus Præſul conſilio inito cum fratribus, ex illa ingentis arboris mole oratorium conſtruxit, hocque in honorem ſancti Petri Apoſtoli dedicauit. Edit. I pag. 350

CAPVT XXVIII

Thuringiam reuiſit S. Boniſacius, lapſantemque religionem erigit: hæreticos & impoſtores excommunicat.

conf. notat. XXII

His itaque peractis, ad Thuringiam quoque profectus eſt, illiuſque populi Principes magna ex parte a Chriſtiana religione deficientes, corrigere ſtuduit. Poſtquam enim religioſorum Ducum dominatio in eis ceſſauit, ceſſare etiam Chriſtianæ religionis intentio cœpit, falſique quidam Chriſtiani, quorum nomina ſunt * Drothwin & Bertheri, Canbereth & Hunred, inter eos hoſpitantes, maximam hæreticæ prauitatis introduxerunt ſectam. Qui ſcilicet fornicatores & adulteri cum validiſſimum aduerſus hominem Dei excitarent conflictum, veris verborum oppoſitionibus confutati, dignam recompenſationis ſortiti ſunt ſententiam. Nam excommunicati & expulſi ſunt de eccleſia.

* *Surius*, Dorthvvinus, Bertherus, Eambertus, & Humedus. (S.)

CAPVT XXIX

351

In Thuringia plurimos Chriſto Ieſu aggregat: monaſteria ædificat, & quidem in S. Michaelis honorem vnum, vbi & Miſſarum ſolennia celebrauit.

conf. notat. XXIII

CVm autem prædicationis eius fama vndique emanaret, credentiumque multitudo excreuiſſet, eccleſiæ inſtaurantur, monaſteria ædificantur. Tunc etiam congregata ſeruorum Dei multitudine, conſtructum eſt monaſterium in loco, qui dicitur Ordorf, ſub honore ſancti Michaelis Archangeli. Qui ſcilicet omnes Apoſtolico more viuentes, labore proprio victum, veſtitumque acquiſierunt.

Cur autem in honore ſancti Michaelis conſtructum fuerit idem monaſterium, breuiter dicendum. Nam cum S. Bonifacius prædicando & baptizando in Thuringia tranſiret, & prope flumen, cui nomen eſt Oraha, tentoriis fixis pernoctaret, tunc per totam noctem lux magna de cælo ſeſe protendens, locum, vbi manebat Epiſcopus, circumfulſit. In qua etiam luce S. Michael Archangelus aduenies, Epiſcopo apparuit, eumque alloquens, in Domino confortauit. Mane itaque facto, laudans & benedicens Deum, ibidem Miſſarum ſolemnia celebrauit. Deinde in eodem loco prandium ſibi parari præcipiens, ſed a miniſtro ſuo audiens, cibum, quo veſci poſſet, ſe non habere, reſpondit; Nonne qui multitudinem populi in deſerto XL annis, manna de cælo miſſo, potuit paſcere, mihi indigno ſeruo ſuo non præualet ad vnius diei refectionem eſcam impendere? Hæc cum dixiſſet, vt menſa ſibi apponeretur, præcepit. Interea quædam auis aduolans, piſcem talem, qui ad vnius diei refectionem ſufficeret, attulit, & ante menſam proiecit. Quo viſo, ſanctus Præſul

Edit. I pag. 352 sub Deo gratias retulit, piscemque allatum cito præparari iussit. Illo vero præparato & comesо, reliquias in flumen proiici præcepit. Exinde cœptum carpens iter, & Thuringiam peragrans diligenter inuestigauit, cuius ille locus esset, vbi visio tanta sibi apparuit. Compertoque, quod Hugo, qui dicebatur senior, illius loci possessor esset, petiit ab eo, vt sibi dare dignaretur. At ille petita annuens, primus omnium Thuringorum, hereditatem suam tradidit venerando Præsuli. Deinde vero Albolt, aliique plures contigua prædicto loco prædia tradiderunt. His igitur adeptis, S. Bonifacius rediens, in eodem loco frutecta extirpare, terramque incolere iussit, & iacto fundamento, ecclesiam construi fecit.

Hæc autem in libro quodam antiquo scripta reperiens, ideo inserere decreui, vt agnita caussa, vnde monasterium prædictum extructum fuerit, & ipse locus, & fundator eius, angelica visitatione digni, sub veneratione maiori habeantur.

Ex hisce verbis *Sagittarius* l. d. cap. XI § VIII p. 175 colligit, quendam posteriorum temporũ cœnobitam, siue Ordurfi is vixerit, siue alibi locorum, quæ de duobus hic miraculis narrantur, Othlono attexuisse. Dici enim; *hæc in libro quodam antiquo* &c. cum tamen Othlonus non ita multis post Bonifacium annis vixerit. At falli ipsum, quiuis, puto, videt. quandoquidem notum, Othlonum tribus integris & quod excurrit, a Bonifacii obitu, sæculis demum scripsisse.

CAPVT XXX

Tantam in euangelico reti multitudinem piscium videns S. Bonifacius, doctis, piisque viris & feminis, qui in Anglia erant, annuit, vt in Germaniam veniant & adiuuent.

PRædicans ergo & baptizans S. Præsul Bonifacius in Thuringorum & Hessorum regionibus, perspexit messem quidem esse multam ibi, sed operarios paucos, ad copiosam multitudinem credentium instruendam. Vnde in prouinciam, patriamque suam mittens, exinde tam feminas, quam viros religiosos, scientiaque varia imbutos, plures venire fecit, suique laboris onus inter eos diuisit. Inter quos erant præcipui quidem viri, Burchardus & Lullus, Willibalt, & Wunnibalt frater eius, Witta & Gregorius †; feminæ vero religiosæ, matertera scilicet sancti Lulli, nomine * Chunihilt, & filia eius † Berathgit, Chunidrut, & Tecla, Lioba, & Waltpurgis, soror Willibaldi & Wunibaldi; sed Chunihilt, & filia eius Berathgit valde eruditæ in liberali scientia, in Thuringorum regione constituebantur magistræ; Chunitrud in * Bagoariam destinata est, vt verbi diuini semina ibidem spargeret; Tecla vero iuxta fluuium † Moin, in locis, * Kihhingen & Ochsnofrutt nuncupatis, collocauit. Liobam quoque ad † Biscofesehein, vt illic multitudini virginum congregatæ præesset, constituit.

conf. notat. XXIV

† *Mabillo* ad h. l. p. 42; *Paullo aliter anonymus:* » Alios ex gente sua, alios ex parte Franciæ, nonnullos etiam de finibus Hiberniæ elegit, quatinus adessent sibi cooperatores in vinea Domini. Ex quibus fuerunt hi: Wigbertus ex parte Anglorum; B. vero Gregorius ex nobili prosapia Francorum: Sturmi vero venerabilis & Lul, Megingot, Willibaldus, suusque germanus, Vunibaldus, & alii quamplurimi. » *Lege acta SS.* Liobæ & Walpurgis *infra.*

* *Surius vocat* Cunigildem. (S.)

† *Surius*, Bertgitem. (S.)

* *Surius*, Baioariam. (S.)

† *Surius*, Moganum. (S.)

* *Surius*, Kissingæ & Ochnofurti. (*Serar.*) Vtrumque non ita bene. Prior enim, quem Othlonus intelligit, locus non geminato S scribitur, vti quidem id Episcopatus Wirzburgensis oppidum, quod ad Salam fluuium, tribus a Suinfurto milliaribus, situm, & thermis iuxta aciduliſque non ita prorsus incelebre est, *Kissingen* vulgo; sed litteris T & Z iunctis, *Kitzinga.* Kitzinga *appellatur in vita S. Sturmii n. XIV. nunc oppidum situm ad Mœnum fluuium in Franconia, sub ditione Marchionis Ambacensis.* ita *Mabillo* ad h. l. p. 42. ad quem tamen duo notanda veniunt. Primum, librarii, vt mihi quidem videtur, hic occurrere errorem; dum pro *Ansbacensis*, vt *Mabillo* ad vitam B. Sturmii cap. XIV p. 277 bene habet, ille posuit, *Ambacensis.* Dein vero Mabillonii ipsius hic effugisse quid diligentiam. Iam ante namque, quam hæc commentaretur, Kitzinga vna cum monasterio, cui Tecla olim præposita erat, e potestate Marchionum Brandenburgensium domus Anspacensis exiuerat, a Præsule Wirzburgensi tempore belli tricennalis occupata. cuius etiam sub ditione mansit iuxta atque etiamnum est; controuersia, quæ

Brandenburgicis cum Herbipolenſibus de oppido hoc interceſſerat, diuque ſatis agitata fuerat, amica tandem tranſactione an. MDCLXXX compoſita, finitaque.

Alter deinde locus, quem Othlonus memorat, ſcribitur *Ochſenfurtum*, vulgo *Ochſenfurt*, non *Ochnoſurtum*. Ceterum vero is oppidum eſt ad ſiniſtram Mœni ripam, tribus a Kitzinga horis, imperio Collegii cathedralis Herbipolitani ſubiectum; de quo pluribus locis *Friſeus* in chronico Wirzburgenſi, in *Mangoldo* quidem cap. XIII p. 597, in *Othone II* cap. V p. 622, in *Ioanne II* cap. LIX p. 753, cap. LXXXVII & ſeq. p. 741 & ſeq. in *Sigiſmundo* cap. XVII p. 781, cap. XXX p. 789, in *Godefrido IV* cap. XIX p. 803, in *Ioanne III* cap. IV p. 815, in *Conrado III* p. 874. Edit. I pag.

† *Surius*, Biſchofeshemium. (*Serar.*) *Biſchofsheim* in vita S. Liobæ cap. XI p. 251 ſæc. Benedict. III parte II p. 251. Cuius quidem parthenonis ſola nunc ſupereſt memoria in oppido, illi poſtea adſtructo, *Biſchofsheim* ſcilicet, quod ad Tubarim amnem ſitum diœceſis Moguntinæ eſt, præfecturæ titulo inſigne. conf. *Brouverus* lib. II antiquit. Fuldenſ. cap. X. *Mabillo* ad vitam S. Liobæ l. d.

CAPVT XXXI

353

Ad nouum Pontificem Gregorium III mittit legatos: eique obedientiam ſpondet; quæſtiones varias proponit.

CVmque millia hominum tam per ſe, quam per ſuos prouinciales ad fidem ſacram perducta, baptiſmatis vnda diluiſſet, iam defuncto beatæ memoriæ Gregorio ſecundo, ſedis Apoſtolicæ Præſule, & tertio Gregorio eandem ſedem obtinente, iterum beatus Bonifacius Romam legatos miſit, qui apud Præſulem prædictum prioris amicitiæ fœdera renouantes, omnem familiaritatis gratiam, quam ab anteceſſore ſuo habuiſſet, expeterent, omnemque ſubiectionem, Apoſtolicæ ſedi debitam, a ſe promitterent, conuerſionem quoque plurimorum in Germania habitantium intimarent.

CAPVT XXXII

S. Bonifacium facit Gregorius III Archiepiſcopum: eique Archiepiſcopale pallium & litteras mittit.

conf. notat. XXV & XXVI

POſtquam vero legati ſupradicti Romam venientes, venerabili Papæ talia denuntiabant, ſtatim Deo gratias retulit. Deinde non ſolum omnia familiaritatis & amicitiæ iura a S. Bonifacio poſtulata promiſit, ſed etiam ea, quæ minime petiit. Idem Archiepiſcopatus pallium direxit; epiſtolam quoque continentem diuerſa, pro quibus interrogatus fuerat, Præſuli ſancto remiſit. Cuius exemplar ſubſequenter inſeretur.

Reuerendiſſimo & Sanctiſſimo Fratri Bonifacio Coepiſcopo ad illuminationem gentis Germaniæ, vel circumquaque in vmbra mortis morantibus gentibus, in errore conſtitutis, ab hac Apoſtolica ſede directo, Gregorius ſeruus ſeruorum Dei.

MAgna nos habuit gratulatio, lectis ſanctiſſimæ fraternitatis tuæ litteris, cum in eis relecta ſerie fuiſſet repertum, Domini noſtri Ieſu Chriſti gratia plurimos te a gentilitate & errore ad veræ fidei agnitionem conuertiſſe. Quod quia inſtitutione diuina docemur in parabolis, cui quinque talenta credita fuerant, alia quinque lucratum fuiſſe, in talis commercii lucro cum tota plaudimus eccleſia. Hinc iure tibi ſacri palatii direximus munus, quod B. Petri Apoſtoli auctoritate ſuſcipiens, induaris, atque inter Archiepiſcopos vnus, Deo auctore, præcipimus, vt cenſearis *. Qualiter autem eo vtaris, ex mandato Apoſtolico informatus cognoſce. Itaque dum Miſſarum ſolemnia geris, vel Epiſcopum te contigerit conſecrare, illo tantummodo tempore eo vtaris. 354

* *Nempe Archiepiſcopus vagæ & incertæ ſedis, quod an. DCCXXXII contigit, Gregorio III ſuffecto in demortui locum anno ſuperiori, quo Bonifacius nuntios ſuos Romam miſerat. De ſede Magontiacenſi Bonifacio attributa lege cap. XXXVII infra* (Serar. XLIV) *Ad pallium ſpectat id, quod ſcribit Bonifacius in ep. CV ad Cudbertum, Archiepiſcopum Cantuarienſem:* Maior nobis ſollicitudo eccleſiarum & cura populorum propter pallia credita & recepta, quam ceteris Epiſcopis, qui proprias tantum procurant parochias, incumbit. *Lege epiſt. VI ad populares ſuos, vbi ſe duorum Pontificum Romanæ eccleſiæ benedictionem accepiſſe ſcribit.* Ita *Mabillo* ad h. l. pag. 43.

Quia

Edit. pag. Quia vero turbas, Domini gratia, in eisdem partibus ad rectam fidem asseruisti conuersas, ideoque nequire te occurrere omnibus, quæ salutis sunt, impendere aut intimare, cum iam longe lateque, gratia Christi, eius fides * in illis partibus propagaretur, præcipimus, vt iuxta sacrorum Canonum statuta, vbi multitudo excreuit fidelium, ex vigore Apostolicæ sedis debeas ordinare Episcopos; piá tamen contemplatione, vt non vilescat dignitas Episcopatus. Presbyterum namque, quem præterito asseruisti anno ad nos venisse, in nostroque iudicio fuisse a suis nefariis absolutum actionibus, credas, neque nobis confessionem aliquam fecit, nec a nobis, vt suos expleat libitus, absolutus est. Sed si eum errori deditum repereris, hunc Apostolicæ sedis vigore, vt iuxta sanctorum Canonum censuram corrigas, & emendes, præcipimus; vel si quos forsan tales inueneris. Ille enim veniens, Presbyter sum, ait, & commendatitias ad filium nostrum Karolum litteras expetiit. Nullam illi aliam concessimus licentiam, quem vitari, si praue conuersatur, cum reliquis, volumus, eosdemque, quos a paganis baptizatos esse asseruisti, si ita habetur, vt denuo baptizes in nomine sanctæ Trinitatis, mandamus. Inter cetera agrestem caballum aliquantos comedere adiunxisti, plerosque, & domesticum. Hoc nequaquam fieri deinceps, sanctissime Frater, sinas, sed quibus potueris, Christo iuuante, modis, per omnia compesce, & dignam eis impone pœnitentiam. Immundum enim est, atque execrabile. Pro obeuntibus quoque consuluisti, si liceat oblationes offerri. Sancta sic tenet ecclesia, vt quisque pro suis mortuis vere Christianis offerat oblationes, atque Presbyter eorum faciat memoriam: & quamuis omnes peccatis subiaceamus, congruit tamen, vt Sacerdos non nisi pro mortuis Catholicis
355 memoriam faciat, & intercedat. Non enim pro impiis, quamuis Christiani fuerint, tale quid agere licebit. Eos etiam, qui se dubitant fuisse baptizatos, vel qui a Presbytero Ioui mactante, & immolatitias carnes vescente, baptizati sunt: vt baptizentur præcipimus. Progeniem suam vnumquemque vsque ad septimam generationem obseruare decernimus: & si valueris, deuitandum doce, ne, cui vxor obierit, ** & amplius quam duabus debeat copulari. De his vero dicimus, qui patrem, vel matrem, vel fratrem, aut sororem, occiderint, vt toto vitæ suæ tempore corpus dominicum non suscipiant, nisi in suo exitu pro viatico: abstineant etiam a carnis commessatione, & potu vini, donec aduixerint. Ieiunent secunda, quarta, & sexta feria, vt sic deflentes possint diluere commissum scelus. Hoc quoque inter alia crimina agi in partibus illis dixisti, quod quidam ex fidelibus ad immolandum paganis sua venundent mancipia, quod vt magnopere corrigere debeas, Frater, commonemus, nec sinas fieri vltra. Scelus enim est, & impietas. Eis ergo, qui hoc perpetrauerunt, similem homicidæ indices pœnitentiam. At quoties Episcopum consecraueris, duo vel tres conueniant tecum Episcopi, vt Deo sit gratum, quod geritur, & eis conuenientibus, ipsisque præsentibus consecres. Hæc te, charissime Frater, diligenter obseruare volumus, & studio pietatis cœptum negotium salutis exequi, vt de lucro apportato valeas a Domino Deo nostro mercedem percipere in æterna beatitudine. Priuilegium vero, iuxta quod petisti facientes, his iunctum direximus; optantes, te Domini Dei nostri præsidio de conuersione errantium pleniſſimum apportare lucrum. Deus te incolumem custodiat, reuerendissime Frater.

* *Surius*, in illis propagetur. (S.)
** *Surius* non habet particulam *&* (S.)

CAPVT XXXIII

Fritzlariæ & Amaneburgi ecclesias cum monasteriis erigit.

REdeuntes ergo nuntii, & gratiosa Præsulis Apostolici dona, scriptaque re- *conf.* notat. portantes, lætissimum efficiunt sanctum Bonifacium. Vnde & debitas Deo XXVII
356 laudes, gratiasque agens, duas mox ecclesias Domino construxit, vnam quidem in † Frideslar, quam in honore Principis Apostolorum, S. Petri consecrauit, alteram vero in * Hamanaburch, quam in honore S. Michaelis Archangeli

geli dedicauit. Duo quoque monasteriola duabus subiunxit ecclesiis, hisque non minimam Deo seruientium concionem subrogauit, vbi hucusque laudis & seruitutis diuinæ officia peraguntur. Edit. I pag.

† *al.* Fritislar. *(Ser.)*

* *Surius*, Amanaburg *(Serar.)* At vero cap. XVI legas, Bonifacium ante iam, quam secundo Romam iuerit, Amanaburgi monasterium excitasse. Putat igitur *Sagittarius* l. d. cap. XIV § III p. 207 verisimilius esse, ædem illum sacram, quam iam tum constituerat, nunc solum inauguralse, vel nondum penitus perfectam demum absoluisse, vel loco prioris aliam maiorem & augustiorem construxisse.

CAPVT XXXIV

In Bauariam vadit: ibidemque compertum hæreticum profligat: Christi fidem propugnat & amplificat.

conf. notat. XXVIII

QVæ postquam gesta sunt, S. Bonifacius * Bagoariorum terras, quibus per idem tempus Hugbertus Dux præerat, adiit, prædicationisque studium apud eos diligentissime exercens, tanto diuinæ æmulationis zelo armatus est, vt quendam schismaticum, hæretica prauitate plenum, nomine Ermwolfum, iuxta Canonum decreta, damnasset *, atque ab ecclesia expulisset †. His peractis, rursum ad eos, qui sub suæ gubernationis diœcesi commorabantur, remeauit, circuiens vbique, & instaurans, quæ cura popoſcit ecclesiarum.

* *al.* damnauerit

* *Surius*, Baioariorum. *(Serar.)*

† *Id hoc circiter tempore* (an. DCCXXXVI) *contigit; cum statim VVillibaldus de tertia profectione Romana Bonifacii verba faciat, asseratque, eum, cum Roma rediit, inuitatum fuisse ab Odilone, Baioariorum Duce, vt suis incolis verbum Dei prædicaret. Quare cum Bonifacius anno DCCXXXIX Roma reuersus sit, Hucbertus Dux non longe ante obierat, eique Odilo successerat.* Arnolfus *lib. I de miraculis S. Emmerani c. I*; " Theodo (II) filios habuit successores, *Diotpertum* videlicet atque *Grimoaldum*: post quos Ducatum genti huic præbuit *Hucbertus* &c. Huius Ducis temporibus beatissimus Præsul Bonifacius ingressus Baioariam nonnullos hæreticorum ex ea depulit. Quo Franciam reuerso, & præfato Duce defuncto, sub Principe Pippino * gentis huius Ducatum Odilo adeptus est. „ Hæc *Pagi* ad annum DCCXXXVI num. VIII p. m. 231.

* perperam, vt ostendit *Pagi* l. d.

CAPVT XXXV

Romam ad Pontificem iam tertio proficiscitur, & quam ob causſam.

EO etiam tempore Romam ire decreuit, tam pro hoc, vt Apostolici patris, cuius faciem nec dum agnouerat, salubri frueretur agnitione simul & colloquio, quam vt se sanctorum Apostolorum, aliorum Sanctorum, in vrbe Romana quiescentium, orationibus commendaret. Profectus ergo illuc, multa comitante turba Francorum & Bagoariorum, nec non ex Britannia conuenientium, præsentatusque Apostolico, benigne susceptus est ab eo, tantaque a cunctis Romanis veneratione habebatur, vt multi ad salutarem eius doctrinam con- 357
fluerent, illumque diu secum retinerent.

Tertia hæc Bonifacii profectio Romana contigit haud dubie anno Christi DCCXXXVIII, circiter autumnum: reditus vero anno insequenti, quo cum Episcopos in prouincia Baioariorum instituisset, facti sui approbationem a Gregorio Papa accepit IV Kal. Nouembr. imperii Leonis XXXIII, indictione VIII, *i. e. anno DCCXL. infra cap. XXXII* (Serar. XL) *Mabillo* ad h. l. p. 44. Idem dicit ad cap. IX Willibaldi p. 19.

CAPVT XXXVI

Cum Sanctorum reliquiis, & pontificiis ad varios litteris in Germaniam Roma reuertitur: quarum hic primæ sunt.

POsthæc vero, cum remeare decerneret, muneribus, & reliquiis Sanctorum, pro quibuscunque petiit, datis, honorifice ditatus est a Præsule Apostolico. Adhæc etiam ei epistolas quasdam Episcopis, Abbatibus, atque Principibus

Edit. I pag. cipibus cunctis in Germania constitutis transmittendas dedit. Quarum exemplaria subsequenter hic inserentur.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei dilectissimis nobis omnibus Episcopis, venerabilibus Presbyteris, religiosis Abbatibus omnium prouinciarum.

DOmino cooperante, & sermonem * confirmante, sanctissimus vir Bonifacius, Frater ac Coepiscopus noster a decessore nostro sanctæ recordationis, Præsule Gregorio, in Germaniæ partes missus prædicare verbum Dei, post multum temporis, orationis caussa, liminibus sacris beatorum Apostolorum Petri ac Pauli præsentandus aduenit. Qui perfecta oratione, ad acceptum laborem, angelo Domini præueniente, a nobis est absolutus; cui nostra omnium dilectio, seu reuerentia, & religiositas, propter Christi amorem, iuuamina impendere dignetur: dum & agnoscitis, quæ Dominus noster Iesus Christus promisit, dicens: *Qui suscipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet; & qui suscipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet.* Et si forsan quis ex vestris ministris sese ipsi sanctissimo viro in ministerio exhortationis sanctæ Catholicæque fidei adiungere voluerit, nullo modo prohibeatis, charissimi, sed magis concursum præbete, & ex vestro ouili adiutores ei tribuite, qui possint per Dei gratiam sufficienter gentibus ministrare verbum prædicationis, vt
358 omnipotenti Deo nostro animas lucrifaciant: & vt vestra communitas boni operis portionem sortiatur, atque illi mereantur dominicam vocem audire: *Vos, qui reliquistis omnia, & secuti estis me, centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis.* Matth. 10, 41. Matth. 19, 29.

* *Surius*, confirmante, præsens sanctissimus. (S.)

CAPVT XXXVII

Alteræ Pontificis litteræ.

*Gregorius Papa vniuersis optimatibus, & populo prouinciarum Germaniæ, Thuringis, & Hessis, Bortharis, Nistresis, Wedreuis, & Lognais, * Suduosis, & Grabfeldis, vel omnibus in orientali plaga constitutis.*

* *Surius*, Suduodis & Graueldis. (S.)

QVoniam decessor noster sanctæ recordationis Gregorius Præsul, nutu diuino motus, ad faciendam Deo plebem perfectam, præsentium portitorem litterarum Bonifacium, reuerendissimum Fratrem nostrum, ac Coepiscopum, ordinans, ad vos vsque destinauit, eumque regulam & normam Apostolicæ & Catholicæ * fidei Romanæ, cui, auctore Deo, deseruimus, ecclesiæ edocens, direxit: & post temporum spatia, orationis caussa, ad limina B. Apostolorum sese præsentauit, & quæ ad salutem animarum pertinent, a nobis exposcit imbui: nos, Deo fauente, vt docet sacra scriptura, eum educantes † ad vos, charissimi, remeandum absoluimus; hortantes vos in Domino, vt digne suscipiatis ab eo verbum exhortationis, & Episcopos vel Presbyteros, quos ipse ordinauit per Apostolicam sibi datam auctoritatem, in ecclesiæ ministerio recipiatis. Et si quos forsan deuiantes inuenerit a rectæ fidei tramite, seu canonica doctrina, eosque prohibuerit, a vobis nullo modo impediatur: & quod eis impositum fuerit, obediendo propter Deum suscipiant. Nam qui temerator extiterit ad obediendum, sibimetipsi damnationem acquirit.

* *Surius*, fidei edocens direxit. (S.)

† *i. e.* erudientes. *conf. epistol. seq. Mabillo* ad h. l. p. 45.

Vos autem, charissimi, qui in nomine Christi baptizati estis, Christum induistis, abstinete ab omni cultu paganorum, non tantum vosmetipsos corrigentes, sed & subditos vestros. Diuinos, vel sortilegos, vel sacrificia mortuorum, seu lucorum, vel fontium auguria, vel phylacteria, & incantatores, & maleficos, & obseruationes varias, quæ in vestris finibus fieri solebant, omnino
359 respuentes, atque abiicientes, tota mentis intentione ad Deum conuertimini, ipsum timete, adorate, & honorificate, *sanctorum memoriis communicantes*, vt ait Apostolus. Si enim *fides vestra*, iuxta Domini nostri dicta, *fuerit sicut* Gal. 3, 27. Gal. 6. Luc. 17, 6.

granum ſinapis, † *diceretis monti huic, Tollere, & mittere in mare: & transfertur.* Ipſe enim Dominus & Saluator noſter in ſuo ſacro eloquio docet, dicens: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua.* Et iterum: *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, & ego confitebor eum coram patre meo, qui in cælis eſt.* Item alibi promittit, dicens: *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, fiet vobis.* Et iterum: *Petite, & accipietis; quærite, & inuenientis; pulſate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit; & qui quærit, inuenit, & pulſanti aperietur.* & vos, chariſſimi, facite fructus dignos, vt in die aduentus Domini noſtri Ieſu Chriſti ſidereas adipiſci mereamini manſiones. * Bene valete. Edit. I pag.

Matth. 22, 37.
Luc. 12, 8.
Ioan. 14, 13.
Matth. 7, 7. 8.

† *Surius*, dicetis monti huic; transfer & transferretur. (*Serar.*)
* *Hæc duo verba*, Bene valete, *abſunt in Surio.* (*Serar.*)

CAPVT XXXVIII

Tertiæ Pontificis litteræ.

*Dilectiſſimis nobis Epiſcopis in prouincia * Bagoariæ & Alemanniæ conſtitutis, Wigoni, Luidoni, Rudolto, & Viulo ſeu ** Adde, Gregorius Papa.*

* *Surius*, Baioariæ. (*Serar.*)
** *Surius*, Addæ. (*Serar.*)

CAtholica & ſanctorum Patrum auctoritas iubet, vt bis in anno pro ſalute populi Chriſtiani, ſeu exhortatione adoptionis filiorum, ſynodalia debeant celebrari, vt cauſſarum canonicarum examinatio prouenire poſſit, atque, vt neceſſitas vniuſcuiuſque popoſcerit, pia educatio agatur. Vnde ſecundum Apoſtoli doctrinam admoneo & adhortor vos, chariſſimi, per miſericordiam Dei, vt digne ambuletis vocatione, qua vocati eſtis, vt miniſterium veſtrum perfectum ſit coram Domino. Opportunum namque eſt, vos noſſe fratrem, ac Coepiſcopum noſtrum, præſentem Bonifacium, noſtram agentem vicem, cum digno & debito honore pro Chriſti nomine ſuſcipere, & miniſterium eccleſiaſticum cum fide Catholica, ſecundum morem & normam ſanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ Dei eccleſiæ, cui, miſericordia Dei præueniente, præeſſe videmur, ſicut Apoſtolica auctoritate a nobis deſtinatus eſt, ab eo ſuſcipientes, dignanter 360
teneatis, & gentilitatis ritum, & doctrinam, vel venientium Brittonum, vel falſorum ſacerdotum, & hæreticorum, aut vndecunque ſint, renuentes, ac prohibentes, abiiciatis; & vt populum vobis a Deo commiſſum piis admonitionibus edoceatis, & a ſacrificiis mortuorum omnino abſtineatis, & iuxta quod fueritis a prædicto noſtro conſacerdote edocti, ita Catholicam & Apoſtolicam doctrinam tenentes, Domino Deo * Salutari noſtro placeatis, & in quo vobis loco ad celebranda conſilia conuenire mandauerit, ſiue iuxta Danubium, ſiue in ciuitate Auguſta, vel vbicunque indicauerit, pro nomine Chriſti parati eſſe inueniamini: quatenus cognoſcamus per eius mandatum de veſtro conuentu, vt in die aduentus Chriſti Ieſu cum fructu boni operis ante eius tribunal aſſiſtere mereamini, dicentes: *Ecce nos & pueri, quos dediſti nobis, Domine, non perdidimus ex eis quenquam.* vt & vos dominicam vocem audire mereamini, dicentem: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi.*

Ephes. 4, 1.
Ioan. 18, 9.
Matth. 25, 34.

* *Surius*, Saluatori. (S.)

CAPVT XXXIX

Bauariam reuiſit: eamque in Epiſcopales diœceſes quatuor diuidit.

ACceptis ergo talibus epiſtolis S. Bonifacius a Roma diſceſſit, Italiamque perueniens, Ticinæ vrbis ingreſſus eſt mœnia, & apud Luitprandum Longobardorum Regem aliquandiu commorabatur. Inde vero digrediens, terras * Bagoariorum ab Otilone Duce inuitatus viſitauit, manſitque apud eos diebus multis, verbum Dei prædicans, veræque fidei ſacramenta illic renouans. Inter

Edit. I pag. Inter quæ etiam destructores quosdam ecclesiarum, populique seductores abigebat, quorum alii falso se Episcopatus gradu prætulerunt, alii vero Presbyteratus officio se deputarunt, alii etiam innumera peruersitatis figmenta sequentes, magna ex parte populum seduxerunt. Sed sanctus Præsul, cum tantam sacerdotum fallaciam, atque malitiam aliter non posse prohiberi, conspiceret, pro-
361 uinciam Bagoariæ, Otilone Duce consentiente, in quatuor diuisit parochias, tresque magnarum virtutum viros eis præfecit, quos ordinatione facta in Episcopalem gradum sublimauit. Quorum primus nomine Iohannes, in oppido, quod dicitur Saltzpurg, cathedram Episcopalem suscepit. Secundus ** Erinbertus, in Frisingensi ecclesia regimen pontificale subiit. Tertius Gowibolt†, in Ratisponensi ciuitate, quæ metropolis * Bagoariæ est, Pontifex constituitur. ** Viualus quoque, a Præsule Apostolico iam ordinatus, Patauiensi ecclesiæ prælatus est; sed eius parœchia, quæ quarta erat, a S. Bonifacio, sicut ceteræ, diuidebatur.

* *Surius*, Baioariorum ab Vtilone. (S.)

** *Surius*, Erimbertus. (*Serar.*) *Is nepos ac successor fuit S. Corbiniani, de quo supra ad an. DCCXXX. Mabillo* ad h. l. p. 46.

† Gaubaldum *vocat* Arnolfus, *ex Comite monachus, lib. I de vita S. Emmerami cap. I apud Canisium tomo II antiqu. lection. qui Gaubaldus* sepulcrum aperuit B. Emmeramo. *Addit* Arnolfus *lib. II, ex eo tempore, quo primum a B. Bonifacio in Boiaria* ordinabantur Episcopi, vicissim sibi succedebant in huius Episcopatu Monachi atque Canonici, ita vt si antecessor esset Canonicus, fieret successor Monachus: *qua consuetudo ad sua ipsius tempora duranerit. Ex quo factum sit, vt eatenus monachi* S. Emmerami *non alium Abbatem habuerint, quam Episcopum.* Hæc *Mabillo* ad h. l. p. 46. Plura, eaque doctissima, quæ quidem huc faciunt, habet *Pagius* critic. Baron. ad an. DCCXXXIX n. II p. 235 seq. quem adeo audire iuuabit. *Ante illam Baioariæ in quatuor diœceses diuisionem iam* Vichterpus *Ratisbonensis Episcopus ordinarius erat, & Viuolus Patauiensis.* Mabillonius *enim tom. IV Analect. versus incerti* Poetæ, *qui medio sæculo sequenti floruit, publicauit, quorum hic titulus:* De ordine comprouincialium Pontificum. *In iis*, Vichterpus, *quod hactenus ignoratum fuerat, dicitur primus Episcopus ordinarius Ratisbonensis, &* Garibaldus *seu* Gaubaldus *vel* Gaibaldus *h. a. a Bonifacio Ratisbonæ præpositus, dicitur secundus. Horum versuum beneficio ecclesiasticæ Germanicæ historiam hoc & sequenti sæculo variis in locis illustraui. Hæc de Episcopis Ratisbonensibus in aureo illo opusculo:*

Hic Reginensis sedis vocitatur ab vrbe,
Quam rexit primo *VVicterpus* Episcopus ille:
Post alios *Cauuipaldus*, qui nomine dictus.
Tertius *Sigiricus* erat sacratus ad aulam.

Cauuipaldus *seu* Cauuibaldus *idem est ac* Garibaldus, *qui variis his nominibus indigitatus reperitur. Sed in his secundus tantum Ratisbonensis Episcopus fuit, non primus.*

* *Surius vbique vocat* Baioariam. (*Serar.*)

** *Surius*, Viuilus. (*Serar.*) Ceterum idem *Pagi* l. d. n. III & IV p. 236; *Quoad Episcopatum Patauiensem perperam credidit* Velserus *lib. III rer. Boicar. eum antiquitus fundatum fuisse, pluresque ante* Viuilum *seu* Viuilonem *Episcopos ordinarios habuisse: qua etiam in sententia fuere* Hundius, Cointius, *aliique, quia laudatum Poetam videre non poterant. Hic enim Episcopos omnes Patauienses, qui ante eum, qui tunc sedebat, quando versus suos scripsit, Episcopi ordinarii in illa ecclesia fuerant, hoc ordine recenset:*

Pattauiensi ergo sedi est hæc aula dicata,
Quam tenuit primo *Viuolus* iam ipse sacerdos,
Nomine post illum Antistes mox rite *Beatus.*

Viuilus *itaque, qui iam ordinatus erat Episcopus in Boiaria, cum S. Bonifacius prouinciam illam in quatuor diœceses distinxit, primus fuit Episcopus ordinarius ecclesiæ Patauiensis, & vno aut altero ante anno a Gregorio Papa consecratus fuerat.* Hæc *Pagi*. Legi alioquin hic etiam meretur *Sagittarius* l. d. cap. XVII § IX & seq. p. 237 & seq.

CAPVT XL

Quæ in Bauaria gesserit, significat S. Bonifacius Pontifici, qui approbat omnia.

His ergo Pontificibus constitutis, & quæcunque tunc corrigenda erant in Bagoaria correctis, ad proprias rediit ecclesias. Post non multum vero temporis omnia, quæ tunc in Bagoaria corrigendo gessit, litteris transmissis, Præsuli Apostolico denuntiauit. At ille gesta eius laudans, remisit huiusmodi scripta.

Reuerendissimo & sanctissimo Fratri, Bonifacio Coepiscopo, Gregorius seruus seruorum Dei.

Doctoris gentium egregii & beati Pauli Apostoli vox est, dicentis: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Agnoscentes itaque, in syllabis Rom. 8, 28.

fraternitatis tuæ, quia de Germaniæ gentibus, quas ſua pietate Deus noſter de poteſtate paganorum liberauit, & ad centum millia animas in ſinum ſanctæ matris eccleſiæ tuo conamine & Karoli Principis Francorum, aggregare dignatus eſt. Sed & in Bagoariorum prouincia, quæ a te acta ſunt, agnoſcentes, datori omnium bonorum Domino Deo noſtro extenſis ad cælum manibus gratias retulimus: quia ianuam miſericordiæ & pietatis in illis partibus Heſperiis ad cognoſcendam viam ſalutis aperuit, & miſit angelum ſuum, qui præparauit viam tuam ante te. Igitur quia indicaſti, te perrexiſſe ad gentem * Bagoariorum, & inueniſſe eos extra ordinem eccleſiaſticum viuentes, dum Epiſcopos non habebant in prouincia niſi vnum, nomine Viuilum, quem nos paullo ante ordinauimus, & quia cum aſſenſu Otilonis Ducis eorundem * Bagoariorum, ſeu Optimatum prouinciæ illius, tres alios ordinaſſes Epiſcopos, & in quatuor partes illam diuiſiſti, id eſt, in quatuor parochias, vt vnuſquiſque ſuam habeat parochiam: bene & ſatis prudenter peregiſti, Frater, quoniam Apoſtolicam præceptionem ex noſtra vice impleſti, & ſicut tibi præcepimus, ita egiſti. Itaque non deſinas, Frater reuerendiſſime, docere eos ſanctam Catholicam & Apoſtolicam Romanæ ſedis traditionem, vt illuminentur rudes, & viam ſalutis teneant, per quam poſſint ad æterna præmia peruenire. Presbyteros vero, quos ibidem reperies, ſi incogniti fuerint viri illi, a quibus ſint ordinati, & dubium eſt, eos fuiſſe Epiſcopos, qui eos ordinauerunt, ſi bonæ actionis & Catholici viri ſunt ipſi Presbyteri, & in miniſterio Chriſti, omnique lege ſancta educati, ab Epiſcopo ſuo benedictionem Presbyteratus ſuſcipiant, & conſecrentur, & ſic miniſterio ſacro fungantur. Illi vero, qui baptizati ſunt per diuerſitatem, & declinationem linguarum gentilitatis, ſi tamen in nomine ſanctæ Trinitatis baptizati ſunt, oportet eos per manus impoſitionem, & ſacri chriſmatis confirmari. Nam Viuilus Epiſcopus a nobis eſt ordinatus. Hic ſi aliquid excedit contra canonicam regulam, doce & corrige eum iuxta Romanæ eccleſiæ traditionem, quam a nobis accepiſti. De concilio vero, vt iuxta ripam Danubii debeas celebrare, noſtra vice præcipimus fraternitati tuæ Apoſtolica auctoritate, te ibidem præſentari, & in quantum Dominus tibi vires dederit, prædicare verbum ſalutis non ceſſes, vt religio Chriſtiana in nomine Domini creſcat & multiplicetur. Nec enim habebis licentiam, Frater, pro incepti laboris vtilitate in vno morari loco, ſed confirmatis cordibus fratrum, & omnium fidelium, qui rareſcunt in illis Heſperiis partibus, vbi tibi Dominus aperuerit viam ſalutis, prædicare non deſinas, & vbi locum inueneris, ſecundum Canonicam regulam Epiſcopos ordina ex noſtra vice, & Apoſtolicam atque Canonicam traditionem eos tenere edoce. Ex hoc enim magnum mercedis præmium tibi præparabis, quoniam omnipotenti Deo noſtro facies plebem perfectam. Non pigeat, dilectiſſime Frater, itinera carpere aſpera & diuerſa, vt Chriſtiana fides longe late- 363
que tuo conamine extendatur. Scriptum namque eſt: *Arcta & anguſta via eſt, quæ ducit ad vitam.* Operare itaque, Frater, opus bonum, quod cœpiſti, vt in die Chriſti Ieſu merearis dicere: *Ecce ego & pueri, quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quenquam.* Et iterum: *Domine, quinque talenta tradidiſti mihi, ecce alia quinque ſuperlucratus ſum,* vt ſubſequenter audire merearis vocem Domini, dicentis: *Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam: intra in gaudium Domini tui.* Deus te incolumem cuſtodiat, Reuerendiſſime Frater. Data IV Kal. Nouembris, imperante piiſſimo Auguſto Leone, Imperii eius anno XXIII, ſed & Conſtantini Imperatoris, eius filii, anno XX, Indictione VIII.

Edit. I pag. 362

* Baioariorum

* Baioariorum

conf. notat. XXXI

Matt. 7, 14.

Ioan. 18. 9.

Matth. 25. 20. ſq.

CAPVT XLI

Carolomannum accedit, ab eoque cum alia plura, tum vero, vt auctoritatem, potentiamque Ducalem ſuam ad ſynodi congregationem, Chriſtianorumque tam Clericorum, quam laicorum correctionem ille interponeret, impetrat S. Bonifacius.

PEr idem tempus Karolo Duce glorioſo temporalis vitæ curſum conſummante, filii eius Karolomannus & Pipinus in patris ſucceſſerunt imperium. Sed quia

Edit. I pag. quia ad nutum Karolomanni, qui maioris ætatis erat, omnia paterni regni iura disponebantur, hunc S. Bonifacius adiens, Præsuliſque Apoſtolici ſcripta deferens, omnino popoſcit, vt Chriſtianæ religionis culturam, quam pater eius * in promptiſſimo animo cœpit & excoluit, ipſe quoque pro Dei amore, ſuique regni ſtabilitate, nec non pro communi omnium ſibi ſubiectorum ſalute eodem animo excoleret. His ille precibus, quaſi diuino affatu compunctus, omnes ſub imperio ſuo degentes, laicos ſimul & Clericos, a religione Chriſtiana deuiantes, tam regali, quam Canonica auctoritate ad viam iuſtitiæ reuocare
364 ſtuduit. Præcipiebat enim, vt, conuentu ſynodali habito, ibi omnia iuxta Canonum decreta corrigerentur, cuius nimirum conuentus ſynodalis ſtatuta, quia non ſolum ſæcularibus, ſed eccleſiaſticis etiam rectoribus ædificationem magnam conferre poſſe videntur, prout in antiquis exemplaribus ſcripta inuenimus, hic ponere volumus; ſic enim ſcripta inueniuntur.

* mſ. *impromptiſſimo*

Duo ſub Karolomanno concilia celebrata ſunt; vnum in Germania, loco incerto, XI Kal. Mai. anno Chriſti DCCXLII; alterum Kalendis Martii anno ſequenti apud Liptinas, agri Cameracenſis, in quo ſuperioris ſynodi canones relecti & approbati ſunt, additis canonibus quatuor; quorum vnum duntaxat refert Othlonus vltimo loco. Lege acta ſynodi vtriuſque apud Sirmondum. Mabillo ad h. l. p. 48.

CAPVT XLII

Synodi duæ a S. Bonifacio congregatæ.

IN nomine Domini noſtri IESV CHRISTI, ego Karlomannus Dux & Princeps Francorum, anno ab incarnatione Domini ſeptingenteſimo quadrageſimo ſecundo, XI Kal. Maii, cum conſilio ſeruorum Dei & Optimatum meorum, Epiſcopos, qui in regno meo ſunt, cum Presbyteris, ad concilium & ſynodum pro timore Chriſti congregaui, id eſt, Bonifacium Archiepiſcopum, Burchardum & Reginfridum, Witanum, & * Willibaldum, † Dadanum, & Addanum, cum Presbyteris eorum, vt mihi conſilium dediſſent, quomodo lex Dei & Chriſtiana religio recuperetur, quæ in diebus præteritorum Principum diſſipata corruit, & qualiter populus Chriſtianus ad ſalutem animæ peruenire poſſit, qui per falſos ſacerdotes hucuſque deceptus eſt.

conf. notat. XXXI

Surius, Willibaldum, *D.* & Adanum (S)

† *Hinc reuincuntur ii, qui* Burckardum *VVirzburgenſi*, Wittanum *Buriburgenſi*, Willibaldum *Eiſtettenſi ſedibus præpoſitos a S. Bonifacio fuiſſe in ſynodo Liptinenſi aiunt: cum Germanica ſynodo (cuius hæc eſt præfatio) vno ante Liptinenſem anno iam Epiſcopi interfuerint. Iſtius ſynodi acta perſtringit Bonifacius in epiſt. CV ad Cudbertum Archiepiſcopum Cantuarienſem. Mabillo* in annotat. ad h. l. p. 48.

Itaque per conſilium ſacerdotum religioſorum & optimatum meorum, ordinauimus per ciuitates Epiſcopos, & conſtituimus ſuper eos Archiepiſcopum Bonifacium, qui eſt miſſus S. Petri. Statuimus quoque per annos ſingulos ſynodum congregari, vt nobis præſentibus Canonum decreta, & eccleſiæ iura reſtaurentur, & religio Chriſtiana emendetur. Fraudatas pecunias eccleſiarum eccleſiis reſtituimus, falſos presbyteros, & adulteros, vel fornicatores, Diaconos, & clericos de pecuniis eccleſiarum abſtulimus & degradauimus, & ad pœnitentiam coegimus. Seruos Dei per omnia omnibus armaturam portare, vel pugnare, aut in exercitum vel hoſtem pergere prohibuimus omnino; niſi illos tantum, qui propter diuinum myſterium, Miſſarum ſcilicet ſolennia adimplenda, & ſanctorum patrocinia, ad hoc electi ſunt, id eſt, vnum vel duos
365 Epiſcopos cum Capellanis * Presbyteris Princeps ſecum habeat, & vnuſquiſque Præfectus vnum Presbyterum, qui hominibus peccata confitentibus indicare pœnitentiam † poſſit; nec non & illas venationes, & ſiluaticas vagationes cum canibus, omnibus ſeruis Dei interdiximus, & vt accipitres & falcones non habeant. Decreuimus quoque, vt iuxta ſacrorum canones vnuſquiſque Preſbyter, in parochia habitans, ſubiectus ſit illi Epiſcopo, in cuius parochia habitat, & ſemper in quadrageſima rationem & ordinem Miſſarum ipſi Epiſcopo reddat & oſtendat; & quandocunque, iure Canonico, Epiſcopus circumit ad confirmandos populos, ſemper Presbyter paratus ſit ad ſuſcipiendum Epiſcopum cum collectione & adiutorio populi, qui ibi confirmari debet: & in Cœna Do-

1 2 3 4 5 6 7 8 9

* *al* & Preſbyteris.

10 mini nouum chrisma accipiat ab Episcopo ; & vt Episcopus testis sit castitatis, Edit. I pag.
11 & vitæ, & fidei, & doctrinæ illius. Statuimus, vt secundum Canonicam cautelam omnes vndecunque venientes Episcopos ignotos, vel Presbyteros, ante
12 probationem synodalem, in ecclesiasticum ministerium non admittant. Decreuimus, vt secundum Canones vnusquisque Episcopus in sua parochia sollicitudinem gerat, adiuuante * Grauione, qui defensor ecclesiæ eius est, vt populus Dei paganias non faciat, sed omnes spurcitias gentilitatis abiiciat, siue sacrificia mortuorum, seu sortilegos, vel diuinos, siue phylacteria, & auguria, siue incantationes, vel hostias immolatitias, quas stulti homines iuxta ecclesias ritu pagano faciunt sub nomine sanctorum martyrum, vel confessorum, Deum &
13 Sanctos suos ad iracundiam prouocantes†. Statuimus similiter, vt post hanc synodum, quæ fuit XI Kal. Maii, quisquis seruorum Dei vel ancillarum Christi in crimen fornicationis lapsus fuerit, in carcere pœnitentiam faciat in pane & aqua. Et si ordinatus Presbyter fecerit, duos annos in carcere permaneat, antea flagellatus*. Si autem clericus vel monachus in hoc peccatum inciderit, post tertiam verberationem in carcerem missus, vnum annum ibi pœnitentiam agat†. Similiter & Nonnæ velatæ eadem pœnitentia teneantur, & radantur omnes capilli capitis eius.

† *Mabillo* p. 49, *indicere pœnitentiam.* al. *indicare & indicare.*

* *i. e.* Comite. *Mabillo* ad h. l. pag. 49. *Surius*, grauiore. (*Serar.*)

† Sirmondus *addit:* siue illos sacrilegos ignes, quos *Nedfratres* vocant; siue omnes, quæcunque sunt paganorum obseruationes, diligenter prohibeant. *Mabillo* ad h. l. p. 49.

* *Sirmondus*, flagellatus & scorticatus videatur, & post Episcopus adaugeat. *addit similiter nonnulla in fine canonis VII. Idem* ad h. l.

† *Sirmondus*, vertente anno. *Idem* ad h. l.

14 Decreuimus quoque, vt Presbyteri vel Diaconi non sagis, laicorum more,
15 sed casulis vtantur†, ritu seruorum Dei, & nullus in domo sua mulieres habitare permittat; & vt monachi & ancillæ Dei monasteriales, iuxta regulam S. Be-
16 nedicti, viuere studeant. Statuimus quoque cum consilio seruorum Dei, & po- 366
17 puli Christiani propter imminentia bella & persecutiones multarum gentium, qui in circuitu nostro sunt, vt sub precario censu aliquam partem ecclesialis pecuniæ in adiutorium exercitus nostri cum indulgentia Dei aliquanto tempore retineamus, ea conditione, vt annis singulis de vnaquaque casata solidus, id est, XII denarii ad ecclesiam vel monasterium reddantur, eo modo, vt si moriatur ille, cui pecunia commendata fuit, ecclesia cum propria pecunia reuestita sit.
18 Et iterum si necessitas cogat, vt Princeps iubeat, precarium renouetur, & rescribatur nouum, & omnino reseruetur, vt ecclesiæ vel monasteria penuriam paupertatemque non patiantur, quorum pecunia * imprecario præstita est, sed si paupertas cogat ecclesiæ, domui Dei integra reddatur possessio. Similiter præ-
19 cipimus, vt iuxta decreta Canonum, adulteria & incesta matrimonia prohibeantur, & emendentur Episcoporum iudicio, & vt mancipia Christiana paganis non tradantur.

† *i. e.* tunicis talaribus. *Idem* ad h. l.

* *Surius*, in precario. (*Serar.*)

CAPVT XLIII

Grauis VVilibaldini exegetæ querela, & posteriorum quorundam Principum cum Carolomanno & Carolo Magno comparatio.

TAntæ ergo religionis statuta a Principibus neophytis tunc facta, si comparentur legibus his, quæ modo a quibusdam rectoribus nostris a pueritia vsque in senectam in omni disciplina Christiana instructis proferuntur, facile potest agnosci, quantum perfectiores fuerint illi neophyti istis patribus doctissimis, qui non solum apud Reges & Principes pro locorum sanctorum vtilitate intercedere negligunt, sed etiam ipsi loca sancta sibi commissa omnino destruunt. O mores praui cunctis omnino dolendi! o miseranda nimis morum mutatio talis! cum pueri senibus, cæci videntibus, imperiti peritis, laici clericis religiosiores inueniantur.

Quondam namque in prouinciis multis, vbi sanctæ ecclesiæ vinea nouiter plan-

Edit. 1 plantata, necdum vel notitia fructuum spiritualium ad omnes peruenit, a plu-
p. 367 rimis sæcularibus viris dicebatur: Qui pro fragilitate nostra a consuetis mundi deliciis penitus nos continere nequimus, saltem vel alios continentes ad seruitium Dei congregantes, illos nostris corporalibus subsidiis pascamus, vt & orationibus suis, aliisque spiritualibus subsidiis nos pascant, ne pereamus. Nunc autem cum omnium virtutum scientia, & experientia aliqua, & in libris prolata pæne ad omnium notitiam peruenit, nullusque Christianorum dicere potest: *Quia nemo nos conduxit*, tam clerici, quam laici plurimi dicere solent: Quid prosunt tot cœnobia, vel tanta monachorum agmina? Multo enim melius esset, vt prædia, quibus iidem monachi inutiliter saginantur, seruitio nostro præstarentur. Hæc quidem multi verbis, sed multo plures operum suorum attestatione ita esse fatentur, quasi malitia & irreligiositas eorum minus a Domino puniatur, si nullus monachus, vel religiosus in hoc sæculo inueniatur. *Matth.* 20.

At Karolomanno præfato longe alia mens erat, qui licet ante S. Bonifacii prædicationem de religione Christiana parum quid nouerit, eo tamen admonente & exhortante, citius in timore & amore Dei ita perfectus esse cœpit, vt humana simul & diuina prudenter disponeret, nihilque sæcularia iura sine diuini administratione seruitii, ad quod cœnobialis, monasticaque deputatur congregatio, proficere sciret. Similiter & Karolus Magnus, filius scilicet fratris sui Pipini supradicti, qui a Roma vsque in Fresiam, ab Vngaria vsque in Britanniam, omnia regna suo subegit imperio, cum contra eadem decertaret, non aliter victoriam se adipisci credidit, nisi interim omnia cœnobia, in eisdem regnis iam constructa, supplemento aliquo adiuuaret. Si quis in his dubitet, legat inprimis sua gesta, deinde circumeat monasteria, quæ sub tempore suo fundata habuit Italia, vel Gallia, siue Germania, & inueniet ea aliqua Karoli largitate sublimata, quædam quidem priuilegio libertatis, quædam vero prædiorum donis, nisi forte ex subsequentibus Regibus seu Episcopis sint ablata. Multi namque Reges eiusdem Karoli successores, licet in præclaris moribus ac studiis pluribus effulserint, in hoc tamen nimis deliquerunt, quod monasteria nonnulla, vel ipsi tam immensa obsequii sui exactione, quam prædiorum ablatione, destruxerunt, vel Episcopis, seu etiam laicis quibusdam, nihil minus, quam monasticam religionem curantibus, destruenda tradiderunt. At Karolus noster non solum hæc
368 minime fecisse fertur, sed etiam hæc contra, quædam ad Episcopatum pertinentia, prædiis duplicibus redditis, cum consilio communi, ab Episcopali ditione absoluit, libertateque regali sublimauit. * prænoscens, vt reor, prophetiæ spiritu, quod & nos cernimus, & anteriores nostri iam diu impletum viderunt, loca sancta, quæ necessariis omnibus sufficienter erant redimita a suis institutoribus, tradita vero Episcopis, & in penuriam maximam, & in destructionem totius disciplinæ regularis ventura fore.

* *Surius*, sicut, verbi gratia, S. Emmerammi monasterium.

Sed hoc nequaquam idcirco dico, quod omnia cœnobia, Episcopis subiecta, destructa sciam, sed partem maximam. Quod tamen eo magis dolendum & miserandum videtur, quo minus ab ignorantibus legis diuinæ præcepta, sed a doctissimis agitur, qui commissa sibi destruentes cœnobia, non solum ipsi peccant, sed etiam laicos peccare faciunt in eadem destructione. Quis enim laicorum non putat sibi iam licere, quidquid clericos cernit facere? Vnde in his omnibus Karolum proponere possumus ad exemplum. Sicut enim inter Reges successores, videlicet suos, non est inuentus similis illi, qui conseruaret legem excelsi, ita nullus eorum post eum tanta gloria, tantaque potentia potitus est in hoc sæculo; meritoque de illo dicitur: *Non recedet memoria illius, & nomen eius requiretur a generatione in generationem.* *Eccl.* 39, 13

Quia ergo occasio talis se præbuit, vt commemorantes, quanta religio sub antiquis Principibus, quantaue fuerit destructio religionis eiusdem sub modernis, per huiusmodi appositа, quibus quid sit melius, declaratur, aliquos etiam incitaremus ad meliora. Nemo, precor, hæc indigna lectu & auditu decernat, sed potius attendens, si in tanta destructione reus existat, pœnitere & emendare studeat, dum veniæ tempus Domino præstante tenemus, ne forte occupati die mortis quæramus spatium pœnitentiæ, & inuenire non possimus. Sed de his satis dictum. Reuertamur iam ad incepti sermonis exordium.

CA-

Edit. I p. 369

CAPVT XLIV

Synodus tertia, in qua, si non ante, duo damnati hæretici: de gradu deiectus Moguntinus Episcopus: initium Archiepiscopatui datum, dum in illius locum suffectus, cum Archiepiscopi titulo ac dignitate, S. Bonifacius.

conf notat. XXXI & XXXIII

CVm ergo Karlomanni præcepto, sanctique Bonifacii consilio synodalis conuentus haberetur, multi ibi non solum Clerici quilibet hæretica prauitate decepti, ab ecclesiæ communione expellebantur, sed etiam Episcopi, qui pro aliqua capitalis criminis macula diffamati erant, deponebantur. Erroris autem totius, qui tunc in Germania excreuerat, maximi fuerant auctores, duo hæretici, quorum vnus Clemens, alter vero * Eldebertus dicebatur. De quibus postmodum, cum epistolas ad Zachariam Papam missas proferre cœperimus, dicetur congruentius. In his enim omnis mortifera eorum hæresis replicatur.

* *Surius*, Aldebertus

Quidam enim Episcopus, nomine † Gewilieb, Mogontiæ ciuitati prælatus, tunc deponebatur. Cur autem depositus fuerit, hic subsequenter enarrabo. In illis namque temporibus Saxones deuastabant Thuringiam regionem. Quamobrem populi eiusdem regionis confugientes ad supradictum Principem Karolomannum, quærebant ab eo auxilium. Qui mox pro eorum ereptione exercitum misit, in quo simul Geroldus, Mogontiacensis tunc Episcopus, pater scilicet præfati Gewiliebis, iussus transiuit. Cumque congressio facta fuisset bellantium, & inuicem semet ferientium, Geroldus Episcopus interfectus ibi inter alios occubuit. Deinde filius eius Gewilieb, adhuc laicus in palatio constitutus, pro sedando patris dolore, clericatus officio promouebatur, & ad regendam ecclesiam Mogontiacensem post obitum patris subrogabatur. Post non multum vero temporis iterum Karolomannus exercitu congregato contra Saxones perrexit, secumque eundem Gewilieben duxit. Considentibus autem vtriusque populi exercitibus * eis citraque ripam fluminis Wisaraha, præcepit Gewilieb puerum suum inter hostes pergere, illicque nomen eius, qui patrem suum occiderat, diligenter inquirere. Cumque puero iussa complenti responderetur a quodam, proxime illum adesse, quem quæreret, Venire rogate, inquit, eum hunc quantocius, quia secum sermocinari senior * appetit meus. Quo veniente, & vtrinque alterius aduentu denuntiato, mox præparatis equis ab vtroque itur, & in medio amne occurrentibus, atque colloquentibus, ait Gewilieb Episcopus, *Accipe iam ferrum, quo patrem vindico carum.* Hæc igitur dicens, gladio mox perfodit illum, qui statim corruens ex equo, in flumine exhalauit spiritum. Cumque sui talia agnoscerent, ab omnibus clamabatur, vtrinque consertis cuneis summopere dimicabatur, superatisque Saxonibus, Karlomannus cum suis ad propria remeauit, nemine id, quod factum est a Gewviliebe, in homicidii crimen imputante. Vnde & reuersus solitos Episcopales sibi vendicauit vsus.

370

forsan eis (S.)

* *Gallice* Seigneur. *Mabillo.*

† *al.* Gewviliob. *Mabillo* ad h. l. qui dein in notis p. 51 subdit: *VVillibaldus omisit hanc historiam, Gewviliebis scilicet depositionem & Bonifacii successionem: quod vtrumque an. DCCXLV contigisse colligitur ex lib. II c. VII & IX. Conf. notas ad cap. X VVillibaldi.*

conf notat. XXXIII

At sanctus Præsul Bonifacius inter cetera correctionis colloquia, hæc pariter in conuentu synodali protulit, attestans nullum homicidii reatu pollutum debere Episcopali sacerdotio fungi. Ad hæc etiam ei obiecit, propriis oculis se perspexisse, illum cum auibus, canibusque iocantem, quod Episcopo nullatenus liceret. Audiens autem hæc Gewvilieb, sentiensque se nullo modo contra stimulum vel sæcularis potentiæ, seu auctoritatis Canonicæ, quæ, mediante S. Bonifacio, in omnes coram positos deferebatur, calcitrare posse, iudicio consentit communi, depositusque est ab ordine Episcopali.

Quo depositio statim S. Bonifacius a supradictis Principibus, Karolomanno videlicet & Pipino, fratre eius, ecclesiæ Mogonciacensi præficitur. & vt eius dignitas eminentior foret, decreuerunt iidem Principes, ecclesiam Mogonciacensem, quæ prius alteri subiecta erat, metropolim omnium in Germania positarum ecclesiarum efficere. moxque legatione facta, illud a Præsule Apostolico impetrauere †.

† *Zachariæ litteras hac de re Othlonus refert infra lib. II cap. IX* (Serar. XV) *Mabillo* ad h. l. p. 52.

CAPVT

Edit. I p. 371

CAPVT XLV

Quæ iam Archiepiſcopus Moguntinus ſummatim geſſit S. Bonifacius.

TAli ergo autoritate ſuffultus S. Bonifacius cœpit vndique quaſi nouus Archimandrita, quæ diuina ſunt plantare, diabolica vero extirpare, cœnobia, eccleſiaſque ædificare, paſtores cautiſſimos eccleſiis eiſdem præponere. Nam præter multos, quos antea conſtituit, Epiſcopos, in quibus erant venerabiles viri, Willibaldus & Burchardus, quorum priorem in loco, Eichſtat nuncupato, Epiſcopum, alium vero in vrbe, quæ Wirzburg dicitur, Epiſcopum conſtituit, tunc vero Gregorium Attrieth * Epiſcopali ordine conſecratum direxit. Iullum etiam in Magontia ipſe adhuc viuens ſibi ſubrogauit Epiſcopum. *conf.* notat. XXX & XXXIV

* *Mabillo* legit, Gregorium *ad Trieth.* in notis vero p. 52 ſubdit: *Sic corrige, cum in editis legatur* Attriech. *Nec tamen ante Bonifacii paſſionem Gregorius præfectus eſt Traiecto inferiori, quod lingua Galliça tum dicebatur* Trech *ſeu* Trecht, *vt ex Othlono ipſo ſupra lib. I cap. VI* (8.) *diſcimus. Conf. Willibaldum cap. X n. XXXI, vbi nullam de Gregorio mentionem facit. Lege vitam S. Gregorii infra.*

Multa quidem & alia tunc ab eo geſta ſunt in Germania, quæ in epiſtolis tantummodo inueniuntur ſcripta. Vnde libet inſerere epiſtolas eaſdem, vel ab eo ad Zachariam Papam, qui per idem tempus ſedem Apoſtolicam gubernabat, vel ab eodem Zacharia ad illum, ſeu pro illo ad quoslibet Germaniæ Principes tranſmiſſas, quas vndecumque colligere poſſumus. Nam illas, quas ad gentis ſuæ populos, id eſt, Anglos, tranſmiſit, prætermittere volumus, ne legentibus aliquod tædium conferre videamur, maxime cum nobis noſtra ſufficiant. Noſtra autem dico, quæ pro patribus noſtris, Germanis ſcilicet, ſaluandis ſcripſit, vel ab vllo ſcripta recepit.

CAPVT XLVI

Vere Germanorum pater S. Bonifacius, ab iisque merito audiendus, & colendus.

IN quibus nimirum epiſtolis maxime poteſt agnoſci, quantam curam & diſciplinam, quantam paternitatem & pietatem habuerit circa omnes eccleſiæ ſuæ *conf.* notat. LV & ſeq.
372 filios, quos ipſe per euangelium genuit, quodque, iuxta Apoſtolum, omnibus omnia factus ſit, vt omnes lucrifaceret. *1 Cor. 9, 22.* Vnde confidenter dico, quia quicunque filiorum eius, Germanorum videlicet, agnito tanti patris labore, vel ex ſcriptis, vel vulgaribus dictis, non eum, quantacunque præualet, veneratione amplectitur, in honore, quem parentibus exhibere iubemur, negligens inuenitur. Quod ſi negligentia peccatum eſt, & peccatum omne punitur, negligentia ergo ſimul punienda creditur. At hæc etiam ſi, iuxta Apoſtolum, patres carnis noſtræ habuimus eruditores, & reuerebamur, nonne multo magis obtemperabimus patri ſpirituum? Pater namque ſpiritalis non ſolum Deus omnipotens dicitur, *Heb. 12, 9.* ſed etiam omnes, quorum doctrina & exemplis ad agnitionem veritatis inſtruimur, ad ſtabilitatem religionis incitamur, ſicut & Abraham ob fidei, obe- *Gen. 17, 4.* dientiæque ſuæ meritum, cunctis imitandum, pater omnium dictus eſt Chriſto *Rom. 4, 11.* credentium. Haud aliter S. Præſul Bonifacius omnium Germaniæ incolarum dici poteſt, pro eo, quod illos verbo ſanctæ prædicationis primitus Chriſto genuit, exemplis confirmauit, poſtremo animam quoque ſuam pro ipſis poſuit, *Io. 5, 15, 13.* qua charitate nemo maiorem valet exhibere. Quæ cum ſit bonorum omnium origo & finis, nos quoque in hoc terminum ponamus libelli præſentis, quatenus ad tempus, ceſſante labore legendi, lector & auditor vires poſſit reparare.

Finis libri primi.